

Ex libris Eremitarum Cam
ad Varsaviam -

NOVUS CANDIDATUS RHETORICÆ

AUCTUS,
EMENDATUS, & PERPOLITUS,

Elementa, & Præcepta
R etoricæ omnia, Aphthonii Progymnasmata, plurium Ciceronis Orationum Synopsin, & Epistolæ scribendæ modum, facilì, brevique methodô,
Studiosis Eloquentiæ Candidatis
exhibens.

AUTHORE
R. P. JOSEPHO JUVENCIO
è Societate JESU,

Editio, post Italicam, Gallicam, Germanicam, & Hungaricam, tertia emendatior in Polonia.

POSNANIÆ
Typis S. R. M. *Clari Collegii Societatis JESU*
Annô Domini 1758.



De hujus Libri ordine, & partibus, & hac novissima editione.

*A*Phthonii Progymnasmata *in Schola humanitatis explicari solent, ut iis degustatis, adolescentium animi præparentur ad Eloquentiam plenius in Schola Rhetorica perdiscendam. Sed in iis Aphthonii præceptionibus meritò desiderantur, quæcumque ad elementa Rhetoricæ ad elocutionem oratoriam, & stylum pertinent, quæ primò tamen locô tradenda videbantur. Quid enim juvat scire præcepta scribendi si modum scribendi, & orationis componendæ artem nescias? Crediderim ab Aphthonio prætermissa, tanquam vulgò nota: nos ea tanquam* Rhetoricæ Candidatis *adhuc ignota, breviter indicamus. Ac primò quidem edisserimus, quæ ad tres primas, & præcipuas Eloquentiæ partes spectant: Inventio-*

ventionem, Dispositionem, & Elocutionem. Quartò locò: Amplificationis præcepta & modum explicabimus. Quintò: Aphthonii Progymnasmata, seu præceptiones oratorias, & leviores quasdam exercitationes, quæ gravioribus Eloquentiæ stadiis quasi præcurrunt (id quod Græca vox Progymnasma sonat) exponimus, & appositîs exemplîs illustramus. Sextò: Synopsim damus aliquot Ciceronis Orationum, & earum partes singulas edisserimus, quæ viam quasi complanent adire volentibus summum Oratorem, ad quem ùt quisque proximè accesserit, ita plurimum in arte dicendi procedet. Denique; modum Epistolæ scribendæ præceptîs pau[illegible]s, paulò pluribus exemplis ex ipso Tu[illegible]io petitîs, tradimus: multa, quæ in prioribus libelli hujus editionibus abundabant, resecuimus; adjecimus, quæ aberant; quæ minùs emendatè, & accuratè scripta videbantur, emendare, ac perpolire studuimus.

PARS



PARS PRIMA,

Complectens Elementa RHETORICÆ,

Ad primam Eloquentiæ partem, sive ad Oratoriam Inventionem spectantia.

CAPUT PRIMUM.

Definitio Rhetoricæ.

QUid eſt Rhetorica?

Reſp. Eſt ars bene dicendi, ſic appellata à verbo *græco*, Rheo; *dico, loquor:* ex quo *græcum:* Rhitor; *Rhetor, Orator, Cauſidicus.* & Rhitorhici: *ſeu: Ars Oratoria..*

Quid eſt ars? *Reſp.* Eſt Facultas, quæ certis præceptis continetur. quæ, ſi optimè cognita, penituſque perſpecta fuerint, nunquam fallunt.

Quid eſt *bene dicere*? *Reſp.* Eſt optimîs ſententiîs, verbîſque lectiſſimîs dicere.

Quis eſt finis Oratoris? *Reſp.* Eſt perſvadere dicendo.

Quod eſt officium Oratoris? *Reſp.* Eſt dicere appoſitè ad perſvadendum.

Qui non re ipſa perſvadet, poteſtne perfectus Orator dici? *Reſp.* Poteſt modò ea proferat, quæ ad perſvadendum idonea ſunt.

Dices; Non videtur ille perfectus artifex, qui finem ſuum non aſſequitur: atqui Orator ille, qui non perſvadet, finem non aſſequitur: quî igitur perfecto eſſe poteſt, etſi appoſitè dicat ad perſvadendum? *Reſp.* In aliis artibus verum id quidem eſt; at in arte Rhetoricæ non item. Diſcrimen eſt quod finis aliarum artium ſit opus quodpiam externum, ab artificis voluntate pendens. Sic pendet à ſola voluntate Pictoris, ut imago fiat; & ab Architecti arbitrio, ut domus extruatur, & ita de aliis. At verò finis Oratoris non pendet ſolùm à voluntate dicentis, ſed etiam à voluntate audientis,

tis, cui persvaderi aliquid debet, & cui nulla unquam ratione persvaderi poterit nisi velit: quia naturâ liber est.

CAPUT II.

De Rhetoricæ materia.

QUæ est materia cujusque artis? *Resp.* Ea est, circa quam versatur Ars. *V. g.* Medicinæ materia, sunt morbi Picturæ materia, sunt colores; & sic de aliis: quia circa ea versantur, & occupantur artes illæ.

Materia verò Rhetoricæ quænam est? *Resp.* Res illæ sunt, quæ in disputationẽ, sive quæstionem cadere possunt.

Quotuplex quæstio fieri potest de unaquaque re? *Resp.* Duplex: altera infinita, quæ *Thesis* græcè, & *Propositum* latinè dicitur: altera finita, quæ græcè *Hypothesis*, latinè *Causa*, & *controversia* nominatur.

Quid vocas quæstionem infinitam. seu Thesim? *Resp.* Quæ nullîs finita & adstricta est adjunctî, seu circumstantiîs quales sunt: persona, locus, tempus, &c.

Quid vocas quæstionem finitam, seu

Hypothesim? *Resp.* Quæ aliquâ circumstantiâ definitur, ac terminatur.

Da utriusque exemplum? *Resp.* Si quæratur: *sitne addiscenda Rhetorica ars?* quæstio illa infinita est; quia generatim id quæritur, nullius mentione facta personæ, vel loci, vel temporis. At si quæram: *sitne fæminis addiscenda Rhetorica?* vel *sitne addiscenda ante, an post Philosophiam?* vel *sitne addiscenda in Academiis vel in privatis ædibus?* Tales quæstiones finitæ sunt. quia Adjuncta hujusmodi infinitam illam & generalem quæstionem circumscribunt, & Thesim revocant ad Hypothesim, hoc est; quod generale est contrahunt ad id, , quod est particulare

Quomodo Hypothesis revocatur ad Thesim? *Resp.* Sumendo id, quod generale est v g Si laudaturus diligentiam, excurram in laudem virtutis, quæ diligentiæ genus est: Si vituperaturus ebrietatem, de vitii fœditate disputem

Quæstiones omnes suntne ejusdem rationis? *Resp* Nequaquam. Alia enim dicitur actionis. cujus finis est agere: Ut

sitne

sitne bellum hæreticis indicendum? Alia cognitionis, cujus finis est scire tantum, & cognoscere aliquid: Ut, *cujusnam mensis die, Luna deficiet hôc Annô,*

CAPUT III.

De triplici causarum genere.

QUot sunt causarum genera, in quibus versari Orator potest? *Resp.* Tria: Judiciale, Deliberativum, & Exornativum, græcè *Epidicticum.*

In quas partes dividitur *Judiciale* genus? *Resp.* In duas: Accusationem scilicet, ac Defensionem.

Quas habet partes *Deliberativum? Resp.* Duas: Svasionem, & Dissvasionem.

Quæ sunt partes *Demonstrativi* generis? *Resp.* Duæ: Laus, & Vituperatio.

Quale tempus respicit Judiciale genus? *Resp.* Præteritum tempus: nemo enim accusari, vel defendi potest. nisi ob rem, quæ jam gesta sit

Quale tempus spectat deliberativum? *Resp.* Futurum; neque enim deliberamus, nisi de futuris.

Quale verò Demonstrativum? *Resp.*

Non præsens modò, sed & præteritum.
Laudari siquidem aut vituperari quis potest, vel ob ea. quæ gessit jam, vel quæ gerit.

CAPUT IV.

De Partibus Eloquentiæ.

QVæ sunt Eloquentiæ partes seu (quod idem est) quæ sunt munera Oratoris propria? *Resp.* Sunt quinque: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronuntiatio.

Quid est Inventio? *Resp.* Est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quibûs probabile reddatur, quód probare contendit Orator.

Quid est Dispositio? *Resp.* Est rerum inventarum in ordinem distributio.

Quid est Elocutio? *Resp.* Est idoneorum verborum ad res inventas accommodatio.

Quid est Memoria? *Resp.* est rerum inventarum ac verborum firma recordatio

Quid est Pronuntiatio? *Resp.* Est corporis, & vocis ea moderatio, quam res inventæ, & verba postulant.

Qui

Quibûs rebûs comparantur quinque illæ partes Eloquentiæ? *Resp.* Naturâ, Arte, Exercitatione, Imitatione.

Quid exigit Natura ad Eloquentiam? *Resp.* Multa, tam ex parte animi, quàm corporis.

Quid requirit ex parte animi? *Resp.* Certas mentis, & ingenii dotes, ad inveniendum, exornandum, & recordandum. aptas.

Quid ex parte corporis postulat? *Resp.* Latera firma, canoram vocem, solutam lingvam, oris, & totius corporis honestam conformationem.

Quid Ars ad Eloquentiam confert? *Resp.* Perficit ea quæ data sunt à Natura.

Quid efficit Exercitatio? *Resp.* Et perficit, quæ dedit Natura, & quæ Ars expolivit.

Quis Exercitationis modus est? *Resp.* Iste. Primò sumi debet causa tractanda similis earum, quæ ad Oratorem deferuntur. Secundò, non dicatur ex tempore, sed sumatur spatium ad cogitandum, ut accuratiùs dicatur. Tertiò, sæpè, ac diligenter scribatur. Quæ

Quæ Imitationis utilitas, & ratio est? *Resp.* Utilitas est maxima; quia sinê ea nemo satìs proficere potest. Ratio verò imitandi hæc est. Proponatur aliquis summus Orator imitandus, quem tota mente intueamur: deinde, quæ in eo summa erunt, diligenter conemur exprimere.

CAPUT V.

Modus optimus Authores imitandi.

OPortet locum alquem Ciceronis, v. g. convertere in sermonem vernaculum: deinde illum, interpositô spatiô, convertere in latinum sermonem: Pòstremò, quod à te scriptum fuerit, conferre, & comparare cum ipso loco Tulliano. Sic facillimè styli tui à Ciceroniano discrimen apparebit, & quod in tuo vitiosum est, emendabitur. Si locum aliquem Ciceronis oratorium velis imitari sume Orationem ejus aliquam, vel partem orationis illustriorem; ejus analysim, seu compendium confice; rationes, & argumenta eô modô collige, quô solet scribendi argumentum Rhetoribus dari. Hanc materiam postea tractabis

tuo

tuo marte, & osseam quasi compagem sua carne vesties. Denique tuum opus cum Ciceroniano comparabis, & quantùm ab eo recedas, intellige. Sumi potest etiam locus aliquis egregius ejusdem Tullii, ac transferri ad aliud argumentum simile, vel contrarium, utendo figuris iisdem, periodis, commissuris, transitionibus, toto denique ductû orationis, ac filô Ciceronem quasi, vestigiis persequendo, mutatis tantùm verbis & sententiis ille v.g. (pro domo sua, num 89.) describit, quis sit populus Romanus: negat, multitudinem hominum seditione concitatam, populum Romanum appellandum esse. Similiter ostendes, quis Christianus dicendus sit, quis nobilis, quis eruditus. Invehitur (Philippicâ I. num. 12.) in Antonium, cui Ciceronis ipsius Consulatus non placeret, qui tamen summis viris placuerat. *Non placet Antonio Consulatus meus? at placuit Servilio, &c.* Imitare hunc locum in eos, quibus non placent studia literarum, quæ viris omnium ætatum, & ordinum sapientissi-

mis placuerunt. Atque hunc in modum, ut hoc obiter moneam, conformanda sunt argumenta scribendi, quæ Rhetoricæ discipulis præstituuntur: hoc enim tùm facile magistro, tum adolescentibus perutile est.

CAPUT VI.

De Locis Oratoriis.

QUis est locus Oratorius? *Resp.* Est locus, in quo inveniuntur argumenta seu probationes, & unde sumuntur. Clariùs dixeris: Loci Oratorii sunt argumenta quædam, rebus omnibus communia, è quibus, tanquam è scriniis, & loculis, depromuntur propriæ cujusque rei probationes.

Quid est argumentum? *Resp.* Est ratio probabilis, & idonea ad faciendam fidem.

Quid est fides? *Resp.* Est firma animi, iis, quæ dicuntur, credentis assensio.

Quid est opinio? *Resp.* Est imbecillis assensio. Tam fides autem, quàm opinio, argumentatione gignitur.

Quid est argumentatio? *Resp.* Est explicatio, & dilatatio argumenti. Quo-

Quotuplicis generis argumenta ſunt? *Reſp.* Duplicis: alia inſita, ſeu intrinſeca. alia remota, ſeu extrinſeca, quæ etiam aſſumpta dicuntur, & ſinè arte; non quòd ſinè arte tractentur, ſed quod ſinè arte multa inveniantur, & quaſi foris, ultròque afferantur.

Quid vocas argumenta intrinſeca? *Reſp.* Ea, quæ petuntur ab loco Oratorio intrinſeco, ſive, qui eſt in ipſa re.

Quænam ſunt extrinſeca, ſeu remota argumenta? *Reſp.* Ea, quæ petuntur ab loco qui eſt extra rem, qui idcirco extrinſecus appellatur.

Quot ſunt loci intrinſeci? *Reſp.* Sexdecem: Definitio, Enumeratio partium, Notatio, Conjugata, Genus, Forma. Similitudo, Diſſimilitudo, Contraria, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Repugnatia, Cauſæ, Effecta, Comparatio

Quot ſunt loci extrinſeci? *Reſp.* Sex: Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum Tormenta, & Teſtes.

CAPUT VII.

De Locis Intrinſecis.

DEFI-

DEFINITIO.

QUid est definitio? *Resp.* Est Oratio, quæ naturam illius rei, quæ definitur, explicat.

Quot partes habet Definitio? *Resp.* Duas: Genus, & Differentiam. Genus: est aliquid commune ipsi rei, quæ definitur, cum multis aliis. Differentia: est aliquid particulare, quod soli rei quæ definitur, convenit.

Da exemplum. *Resp.* Rhetorica est: Ars bene dicendi. *Rhetorica* res est. quæ definitur: *Ars*, est illius definitionis Genus: quia non tantùm Rhetoricæ, sed etiam Grammaticæ, Picturæ aliisque artibus convenit. *Bene dicendi*, est differentia: quia bene dicere, proprium est solius Rhetoricæ.

Proba à definitione, Rhetoricam esse artium præclarissimam. *Resp.* Ars bene dicendi est artium præstantissima: atqui Rhetorica est ars bene dicendi: est igitur omnium præstantissima.

Enumeratio Partium.

Quid est enumeratio partium? *Resp.*

Est

Est alicujus totius in suás partes distributio.

Cedò exemplum. *Resp.* Ab hoc loco Plinius in Panegirico Trajani ostendit, Romam omnem lætatam esse Trajani in urbem adventû, *Non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominùs oculos insolitô spectaculô impleret, Te parvuli noscere, ostentare juvenes, mirari senes, Ægroti quoquè, &c.*

Notatio, &. Conjugata.

Quid est Notatio? *Resp.* Notatio seu Etymologia, locus est, qui verborum originem. & significationem inquirit.

Proba ex hoc loco, Ciceronem verum fuisse Consulem. *Resp.* Ille verus est Consul; qui saluti Patriæ consulit: atqui Cicero consuluit saluti Patriæ: igitur verus fuit Consul.

Quid sunt Conjugata? *Resp.* Ea quæ ab uno orta vocabulo, variè commutantur: sic à pudicitia, pudor, pudicus, pudicè, pudere: oriuntur.

Fac argumentum à Conjugatis. *Resp.* Christi vitam non imitaris: non igitur es Chri-

es Christianus. Cæterùm hi duo loci sunt omnium maximè steriles, & jejuni.

Genus, & Forma.

Quid est Genus? *Resp.* Est quoddam totum, plures continens partes, communione quadam inter se similes, specie tamen differentes. Ut Virtus genus est; quia complectitur Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam, quæ sunt ejus partes, inter se quidem similes; quòd earum quælibet virtus sit: differentes tamen; quia earum natura diversa est.

Fac argumentum à Genere. *Resp.* virtutem colit; ergò & temperántiam. Virtutis est inimicus; ergo non est prudens. Amat homines; ergo & inimicos.

Quid est Forma, seu Species? *Resp.* Est pars Generi subjecta. Argumentum ita ducitur ab eo loco: Inest in hoc adolescente castitas; ergo & virtus: atque ita de aliis.

Similitudo, & Dissimilitudo.

Quid est Similitudo? *Resp.* Est argumentum petitum a re quapiam tali, qualis est ea, quæ tractatur.

Cedo

Cedò exemplum. *Resp* Improbi virtutis suavitatem non sentiunt: ùt ægroti ciborum gustum nullum habent, Item: Beneficia similia sunt floribus; non placent ferme nisì recentia.

Quid est Dissimilitudo? *Resp.* Est argumentum sumptum à re quapiam diversa, & dissimili ejus rei, quæ probanda sumitur. Sic Tullius probat, absolvendum esse à Judicibus Murænam; quia comdemnasset illum Catilina (num 23.) non decet enim id sentire viros optimos, & sapientissimos, quod sentiret homo sceleratissimus. & dementissimus.

Contraria, seu Opposita

Quot sunt Contrariorum, seu Oppositorum genera? *Resp.* quinque. I. Adversa, quæ inter se maximè distant; ùt virtus, & vitium. II. Privantia, quæ sunt habitus, & ejus privatio; ùt vita; & mors III. Relata, quæ mutuò sic sibi respondent seque invicem ita respiciunt, ut unum sinè altero cognosci non possit. Tales sunt: discipulus. & Magister: Pater, & filius. IV. Negantia, quorum u-

num

num negat aliud; ùt pius, & impius. V, Repugnatia, quæ interſe non congruunt; ùt odiſſe áliquem, & laudare.

Quomodo argumenta fiunt à ſingulis? *Reſp.* Hôc modô: I. Ab adverſis. Vitium eſt fœdiſſimnm: igitur virtus eſt pulcherrima. II A privantibus Mortem timet; ergo amat vitam. III. A relatis. Magiſter in ſtudia literarum incumbit; debet in eadem incumbere & diſcipulus. IV. A negantibus. Modeſtus eſt; cur illum ergo dicis immodeſtum? V. A repugnantibus, Amat illum; igitur non ei nocuit; non eſt inſectatus conviciis. Repugnat enim, ut, qui amat aliquem, illi noceat, eum conviciis inſectetur.

Adjuncta, ſeu rei Circumſtantiæ.

Quid ſunt Adjuncta? *Reſp* Ea, quæ cum re conjuncta ſunt, ſive rei cujuslibet circumſtantiæ.

Quot ſunt ejuſmodi Adjuncta, ſive rerum circumſtantiæ? *Reſp.* Illas hôc verſiculô comprehendi: *Quis, Quid Ubi, Quibûs auxiliîs, Cur, Quomodo. Quando.*

Quis

Quis personam indicat, à qua res gesta est: *Quid* ipsam rem. *Ubi* locum, in quo gesta. *Quibûs auxiliis*, arma, instrumenta, adjutores rei gerendæ. *Cur:* causas consilia rei gestæ, *Quomodo* modum exprimit quô est facta *Quando*, tempus notat.

Fac argumentum ab Adjunctis. *Resp.* Vesperi visus est cum gladio, in loco ubi cædes facta est, ergo cædem fecisse meritò creditur, &c. Est incredibili virtute præditus, non ergo fædus violavit.

Quid sunt Antecedentia? *Resp.* Sunt ea, quæ necessariò cohærent cum consequentibus; in quo differunt ab Adjunctis, quæ cum illis non sunt necessariò conjuncta.

Affer argumentum. *Resp.* Ortus est Sol; ergo dies est: Sol enim necessariò diem antecedit.

Quid sunt Consequentia? *Resp* Ea, quæ rem necessariò consequntur.

Da argumentum. *Resp.* Cicatricem habet; ergo olim accepit plagam: cicatrix enim necessariò consequitur plagam.

Causæ, & Effectæ.

Quid est Causa? *Resp.* Est, quæ suâ vi efficit id, cujus est causa; ùt vulnus causa est mortis: qvia vi suâ mortem parit. Ignis causa caloris est; quia vi suâ generat calorem.

Quot sunt causarum genera? *Resp.* Quatuor: Finis, Efficiens, Forma, Materia

Quid est Finis, seu Causa finalis? *Resp.* Ea est, cujus gratiâ fit aliquid; ùt finis hominis est beata vita.

Fac argumentum. *Resp.* Homo natus ad æternam beatitudinem consequendam; non debet igitur voluptates, & caduca bona consectari.

Quid est Efficiens? *Resp.* Est id, à quo aliquid est: ùt Sol est causa diei; quia illum efficit luce toto cœlo diffusa.

Fac argumentum à causa efficiente. *Resp.* Mundus á Deo creatus est; ergo opus est numerîs omnibûs absolutum.

Quid est Forma? *Resp.* Est id, quô res aliqua in suo statu constituitur, & à rebus aliis distingvitur: Sic anima est hominis forma: est enim causa, cur homo sit, eumque a rebus aliis distingvit,

Duc ab illa argumentum. *Resp.* Animus hominis est immortalis, debet igitur ad immortalitatem, æternitatemq; vitæ aspirare.

Quid est Materia? *Resp.* Est, ex qua, & in qua res sunt. Sic marmor, statuæ, corpus hominis, materia est.

Fac argumentum. *Resp.* Corpus hominis mortale est; ab ejus igitur societate, & contagione immortalis animus avocandus est.

Quid sunt Effecta? *Resp.* Ea, quæ orta sunt de causis; ùt dies est effectus Solis.

Quot sunt Effectorum genera? *Resp.* Totidem, quot Causarum: singulis enim causis sua respondent Effecta.

Sume ab Effectis argumentum. *Resp.* Virtus parit laudem; igitur sequenda est. Voluptas infamiam gignit; ergo fugienda

Comparatio.

Quid est Comparatio? *Resp.* Est locus, in quo duo, vel plura, quæ habent aliquid commune, inter se comparantur: sive: est argumentum, quod ducitur ab alia re magis, aut minùs, aut æquè certa

vel probabili, ac verisimili. Hinc triplicem comparationem distingvunt Rhetores; unam vocant *Majorum*, sive a majori ad minus; alteram *Minorum*, sivè à minori ad majus; tertiam *Parium*, sive à paribus. In prima colligitur, & probatur minùs verisimile ex alio magis verisimili. & certo: in secunda probatur magìs certum ex minùs certo: in tertio æquê certum ac probábile, ex æquê certo. Ad hunc locum revocatur Exemplum: quod est Comparationis quoddam genus, & argumentum efficax ad persuadendum.

Quomodo ducitur argumentum à *Majori Resp.* Quando adhibetur in comparatione hæc particula (*multò minus*) ut, si quinque legiones hostilem exercitum vincere non potuerunt; multò minùs duæ potuerunt: major quippe difficultas est quinque, quam duas legiones vincere.

Quomodo argumentum fit à *Minori*? *Resp.* Quoties adjungitur hæc particula (*multò magìs:*) ùt, verba patienter tulit,

multò

multò magìs verba, & convicià perferet: minùs enim eſt verba ferre, quàm verbera.

Quomodo ſumitur à *Pari? Reſp.* Cùm hæc particula (*pariter*) exprimitur in comparatione, vel ſuppreſſa intelligitur: ùt, Sancti æternam ſibi gloriam tolerantiâ pepererunt; iiſdem nos pariter ad tantùm honoris faſtigium gradibûs oportet conſcendere.

CAPUT VIII.

De Locis extrinſecis.

QUid eſt Præjudicium? *Reſp.* Eſt judicium aliquod antea factum, & ſententia priùs lata in cauſa quapiam ſimili, unde ſumi poteſt exemplum, & modus judicii in præſenti cauſa ferendi.

Quomodo fit argumentum à Præjudiciis? *Reſp.* Si oſtendat Orator id, quod contendit, fieri debere; vel quia in ſimilibus cauſis, aut rebus, ad eandem cauſam pertinentibus, ſimilia judicia jam lata ſunt; vel quia illud ipſum judicium, quod jam ferendum eſt, fuit ab iiſdem, aut ab aliis Judicibus pronunciatum.

Quomodo fit argumentum à Fama? *Resp*: Ostendendo id, quod in quæstionem vocatur, ex communi hominum sermone verum esse.

Quomodo à Tabulis? *Resp*: Si demonstretur id, de quo agitur, in publicas tabulas relatum esse, adeòque pro indubitato habendum.

Quomodo à Jurejurando? *Resp*: Si ostenderimus, illud idem cujuspiam viri gravis, & probi juramento esse confirmatum.

Quomodo à Tormentis? *Resp*: Demonstrando, vî tormentorum, vel à consciis illius rei, quæ probanda est, expressam esse confessionem, vel à reo.

Quomodo à Testibus? *Resp*: Si id ipsum cujuspiam gravi testimonio confirmari docuerimus.

CAPUT IX.

Exempla Locorum Intrinsecorum.

ELoquentia usu potiùs, & eximii cujuspiam Oratoris imitatione, quàm præceptis comparatur. Itaque, post allata breviter locorum Rhetoricorum

præcepta, ſubjicimus exempla quæ imitari quiſque poſſit, & in quibus etiam deprehendet, quô tractare modô, quibûs figurîs ornare unumquemque locum debeat.

ARTICULUS I.

Exempla loci à Definitione, & Notatione nominis.

PHilippicâ I. *num.* 29. in peroratione; hortatur Tullius Dolabellam ad pacem, & concordiam in republica tuendam, propoſitâ rectèfactorum gloriâ, cujus definitionem affert. *Eſt ea*, inquit, *laus rectèfactorum*, &c. Seneca Epiſt. 76. Hortatur hominem ad vitam è rationis norma dirigendam, & quid ſit ratio, deſcribit, docétque; proprium hominis eſſe bonum. cætera illi cum pleriſqe belluis communia, per inductionem, & ſubjectionem. *Valet homo viribûs? & leones: velox eſt? & equi: corpus habet? & arbores: &c. Quid in homine proprium? Ratio. Hæc, &c.* Rhetores non ſemper definitionem explicant per genus ac differentiam, ùt mos Philoſophis;

ſed interdum per cauſas, effecta, adjuncta, ſimilitudines, & alia id genus, quæ ſic rei naturam deſcribunt, ut ampliorem ornatui, & amplificationi campum aperiant.

Tullius definit Senatum Romanum multîs ſimilibûs conglobatîs. *Templum*, inquit, *ſanctitatis eſt, caput urbis, ara ſociorum, portus omniam gentium, &c.* Sic adoleſcentem ætati nimiùm, & valetudini fidentem compellares. Adoleſcens! ætati nimiùm, & valetudini ne crede. Flos eſt, citò marceſcit; umbra eſt, momentô vaneſcit: lætum ver, & amœnũ; ſed minimè diuturnum: ſomnium inane, quod incautis, ac dormientibus illudit; ros matutinus, quem Sol oriens exſiccat: pulvis aridus, quem levis aura diſſipat.

Eundem ſic à voluptate conſectanda deterreres. Ah! quid agis infelix, dum voluptatem avidè conſectaris! Laqueum tibi nectis, qui te præfocet: hauris toxicum, quô extingvaris: aſpidem ſinu foves, quæ te complexû crudelî enecabit, &c. Alia

Alia definitio, sive descriptio rei petitur ab ejus causis. Definies hominem à DEO conditum, ratione præditum, factum ad consequendam beatitudinem, & ipsius Dei summi boni possessionem, conflatum è mortali corpore, & anima immortali, &c.

Alia ducitur ab adjunctis. Ea ratione describit Tullius Pisonem, & Gabinium orat: pro Sextio, *num. 17.* eorúmq; vultum, mores, incessum ipsum, & vestitum graphicè depingit: *sed fuit profectò, &c.*

Alia petitur ab effectis. Bellum quid est? Immane monstrum, cujus comites vulgò sunt injustitia, vis, furor. Quacumque incubuit, stragem campis, perniciem urbibus, vastitatem provinciis affert. Sangvine miserorum pascitur, gaudet lacrymis, in cæde, atque exitio triumphat, &c.

Omnium elegantissima ratio tractandæ definitionis ea est, in qua primùm adhibetur negatio, dicitúrque id, quod res non est: deindè negationi subjici-

tur affirmatio, exponendo id; quod res est. *An tu populum Romanum esse illum putas?* (inquit Cicero Orat. pro domo sua *num. 89.*) *qui constat è conductis mercede sicariis,&c.* Pergit ironicè: *O! speciem, dignitatémque populi Romani, quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimescant!* Denique per affirmationem concludit: *Illa, illa fuit pulchritudo populi Rom. illa forma, quam in campo vidisti, cùm,&c. Ille populus, dominus Regum, num. 90.*

Sic in Pisonem *num. 43.* negat, viros probos ullo affici posse verò supplicio: & improbos affirmat, etiam si fideles videantur, miserè tamen cruciari.

Sic pro Sextio *num. 97.* Quinam dicendi sint optimates, exponit: Secundâ in Rullum, sive Agraria, *num. 10.* quinam sint populares; & pro Rabirio perduellionis reo *à num. 11.* ad 14.

Ad eundem modum tractari poterit locus à Notatione nominis, in quo scilicet loco ducitur argumentum à rei nomine, quæ prima rei, & præcipua videlicet nota, & indicium est. Ita Cicero Pi-

ro Pisonem negat esse Consulem: quia Reipublicæ non consuluit. *Quid? Tu in lictoribus, in toga, & prætexta Consulem esse putas? &c. Animô Consulem esse oporteret, consiliô, fide, gravitate, &c. Ego Consulem esse putem, qui Senatum in Republica esse non putavit? qui, &c,*

Ita negabis, aliquem esse amicum, qui verbis tantùm, non item factis amari à se amicum probat. Quid est esse amicum? an arridere blando vultu? pollicere operam? laudibus amicum prosequi? O! præclaram amicitiæ speciem, quam, &c. Ille, ille amicus est, qui amicum in adversis æquè rebus, atque in prosperis diligit, qui juvat consiliô, qui, &c. Ita Christianum verè dices esse qui Christum imitetur, non qui solo nomine Christiani glorietur. Túne Christianum esse putas? qui, cùm in sacro baptismatis fonte primigeniæ noxæ labem purgaverit, ac nomen Christo dederit, vitam omnem turpi Baccho, Veneríque consecrat? qui, &c. Egregiam verò Christiani hominis dignitatem, pro qua

hominibus impertienda Deus ille orbis Conditor, ac rector, è cœlo in terras dejicere se, Majestatem Divinam naturæ mortalis humilitate obscurare, solium immensæ gloriæ infami patibulo mutare voluerit! ille, ille, si nescis, Christianus est, qui solemni Sacramentô Christo mancipatus, Christi vexilla sequitur; qui cupiditates coërcet; qui, &c.

Aliquando in ipso nomine quæritur tantùm acumen quoddam, & jocus. Ita Cicero pro Roscio Amerino, Chrysogonum vocat in suspicionem avaritiæ ab ejus nomine, quod Græcè aureum, sive aurogenitum significat. Verrem (4. *Verr.*) ait implere suum nomen: quia provinciam evertit, id est, spoliavit.

ARTICULUS II.

Exempla Loci à Partium Enumeratione, & Loci à Conjugatis.

PHilippica XIV. *num.* 34. Cognatos eorum, qui pro Republica ceciderunt in acie, consolatur: primò quidem parentes, deindè liberos, tùm fratres, &c.

Pro Plancio *num.* 80. probat, gratitudinem

dinem virtutum reliquarum esse matrem. *Quid est pietas! inquit. nisi voluntas grata in parentes: Qui sunt boni cives? nisi qui patriæ beneficia meminerunt: Qui sancti? &c.* Ita probares, superbiam esse matrem omnium vitiorum. Quid est impietas? nisi animi ferocis, & elati vitium, qui se Deo ipsi recusat subjicere, & debitum illi cultum exhibere negat? Qui sunt avari? nisi qui coacervandis opibus, aliis eminere, & imperitare quodammodo gestiunt, ut nullius indigentes rei, nulli sint obnoxii? Qui ambitiosi? nisi qui.-- Assuescat Eloquentiæ Candidatus exempla Tulliana sic imitari; nulla certior, & facilior ad Eloquentiam via est.

Post reditum ad Quirites *num.* 2. ostendit omnia vitæ commoda, & ornamenta sibi fuisse chariora, quando fuerunt restituta, quàm si nunquam fuissent amissa. *Quid dulciùs hominum generi, &c.* Antonium esse Consulem nemo putat (*Phil.* 4. *num.* 9.) *Negat hoc Brutus Imperator. negat Gallia, negat cuncta Italia, &c.*

Philippicâ 2. *num. 2.* docet, Antonium id spectâsse, ut, Ciceronem insectando, probaret se hostem esse patriæ. Hoc autem docet, removendo alias, quæ Antonium movere potuissent, causas, ut in Tullium declamaret. *Quid putem? contemptúmne me?* &c. *An in Senatu facillimè de me detrahi posse credidit?* &c. *Illud profectò est: non existimavit,* &c.

Ita probares, furtum pecuniæ ab aliquo esse factum. Necesse est, ut fateatur unum ex istis, aut penes ipsum hanc priùs fuisse pecuniam, aut mutuam aliundè accepisse, aut labore comparâsse, aut invenisse casu, aut subripuisse. Primum non dicet profectò; nôrunt omnes egestatem: non secundum; quis enim nepoti perditissimo, & decoctori mutuā daret pecuniam? Labore comparatam otiosus ganeo non affirmabit. Inventam si dixerit, quæremus, quô locô, tempore, modô. Restat igitur, ut fateatur, &c. Martialis *lib. 5. Epig. 41.* ùt in editione novissima, & repurgata numeratur, probat, opes omnes variis amitti

modis posse præter illas, quæ liberaliter erogantur. Initium Epigrammatis est: *Dollidus effracta, &c.* Sic vates bonus adolescentem virtute præditum commendat.

Excubat in placido tibi pulchra modestia vultu,
Et niveus roseô regnat in ore pudor.
Simplicitas oculos, lingvam prudentia frenat,
Pura verecundus pectora candor habet.
Præ foribus famuli, video, famulæq; morātur,
Virtutem Dominam quis neget esse domi?

Divinatione in Verrem *num. 38.* negat, omnia Verris flagitia posse commodè ab adversario explicari, & ea sigillatim enumerat: *Putasne, te posse, &c.* De Provinciis Consularibus *num. 20.* negat Cæsarem velle in Provincia remanere, nisi ut Reipublicæ consulat: non ob locorum amœnitatem, aut humanitatem incolarum, &c.

Inductione per omnes ordines factâ probat pacem esse non posse cum Antonio, Philippicâ 7. *num 21.* Philippicâ 2 *num. 12.* Probat suum Consulatum placuisse summis omnibus viris quos enu-

 merat.

merat per repetitionem. In Pisonem *num. 67.* probat, illum esse omnibus odio, Senatui, Equitibus Romanis, toti demum Italiæ. Varios aquæ effectus, & modos itá describeres incisim. Aquæ in imbres decidunt, rigescunt in grandinem, labuntur in fluvios, in maria funduntur, in vapores attenuantur, &c.

Locus à Conjugatis jejunus, & exilis est. Ab eo loco probat, Cæsarem esse invictum Cicero, qui victoriam ipsam vicit, *num. 12.* pro Marcello Philippicâ 2. dicit, eos cives meritò à se ornari, qui sunt ornamenta Patriæ. Eòdem pertinet illud Virgilianum 7. Æneidos: *Non capti potuêre capi*---Item Martialis: *Marce, ùt ameris, ama.*

ARTICULUS III.

Exempla Loco à Genere, & Specie.

Cicero pro Archia Pòëta, Pòësim, ac Pòëtas universè laudat, in eáque thesi, seu communi Pòëtis omnibus laude, magnam orationis bellissimæ partem consumit.

In oratione pro Cœlio, cujus adolescen-

ſcentiam deteriore, nec falsâ omnino famâ laborantem defendebat, excuſat adoleſcentium vitia, & cupiditates, ſi contineant ſe intrà modum. *Num. 28. 29. &c.*

Cato Stoicus erat, & aſperis moribus, ac doctrinâ: Cicero Stoicos omnes, & eorum diſciplinam ſeveriorem feſtivè inſectatur. Pro Muræna, *num.* 2. ad 61.

Huc referuntur loci communes, qui dicuntur, exempli causâ, in falſos teſtes (Orat. pro Sylla.) In parricidas (pro Roſcio Amer.) In proditores, & perduelles (in Oratione contra Catilinam) Cavendum porrò diligenter, ne Orator longiùs evagetur in iſtis communibus locis, qui facilè refelluntur, id quod Tullius egregiè præſtat pro Cælio. *num.* 28 *Sed tu mihi videbâre ex communi infamia juventutis aliquam invidiam Cœlio velle conflare. Facilè eſt accuſare luxuriam; dies me deficiet, ſi, &c.* Ita meritò reprehenduntur concionatores, qui laudare Martyrem quempiam aggreſſi, cujus dies feſtus agitur, illô omiſsô, martyrium

lau-

laudant, & multa de Martyribus præclarè congerunt. Convenit in eos lepidum illud Martialis acumen: *Jam dic, Posthume, de tribus capellis.* Lib. 6. Epig. 16. cujus primæ voces: *Non de vi, neque &c.*

A Specie ducitur argumentum, quando à thesi ad hypothesim oratio revocatur. Qui Pòëtas laudaverat Tullius, delabitur ad laudes Archiæ Pòëtæ, & ejus Pòëmata commendat, *num. 18. Quoties ego hunc Archiam vidi, Judices, &c.*

ARTICULUS IV.

Exempla Loci à Similitudine, & Dissimilitudine.

PHilippicâ IV. *num. 4. Faciam*, inquit Tullius, *ut Imperatores instructâ acie solent, &c.* Pro Roscio Amer. comparat accusatores cum anseribus, *num. 56.* Vatinium (*num. 4.*) cum angve: *Repentè*, inquit, *te tanquam serpens è latibulis, oculis eminentibûs, inflatô collô, tumidîs cervicibûs, intulisti.* Rempublicam, Catilinaria conjuratione, cum homine ægrotante, (1. Catilin. *num. 31.*) Lucium Syllam cum Jove: pro Roscio Amer. *num.*

131. *Etenim; si Jupiter, &c.* Actores causarum cum actoribus fabularum, Divinat. in Verrem, *num. 48. Ut in Actoribus Græcis, &c.* Ipsum Verrem cum prædonibus, Orat. 6. *num. 21. Fecisti, uti prædones solent; &c.* Belli civilis causam in Antonium conjicit; Philippicâ II. *Ut in seminibus est causa arborum, & stirpium; sic, &c.* Vide etiam pro Sextio *num. 24. Sed ita est, ut si gladium parvo puero dederis*---Pro Rabirio Comœdo, societatis & hæreditatis pulcherrimam instituit comparationem, *num. 55.*

Educationis honestæ quanta sit utilitas, hôc simili demonstrabis: Vidistis aliquando indomitum, ac ferocientem equum, qui nec habenas audiat, nec stimulos, & calcaria patiatur: sternacem, calcitronem, malè meticulosum, & restitantem: qui equitem duriter succutiat, nec rarò excutiat. Adhibete peritum domitorem, & equitandi magistrum, qui reddat illum patientem fræni, qui durum os & contumax paulatim comprimat, ac molliat, qui gres-

ſum ad numeros ex arte componat, &c. Brevì docilem equum habebit, qui omnem in partem flectatur ad ſeſſoris nutum, ſive opus ſit leviorî gradû viam carpere, ſive pleniorî, ſive laxîs habenîs ferri, ſive adductîs ſiſtere, &c. Sic ferox adoleſcentia liberali educatione domabitur, & in rationis, ac modeſtiæ gyrum magiſtri ſapientis inſtitutione ducetur.

Ad hunc locum revocari ſolet exemplum, id eſt: aliquod ſimile alterius factum. Si factum ſit; appellatur vulgò Parabola: ſi fabuloſum; Apologus dicitur.

Còacervatio multorum ſimilium, aut exemplorum vocatur Inductio. Tullius pro Cornelio Balbo factum Pompeii, qui Balbum civitate donaverat, laudat conglobatîs pluribûs exemplîs, *num. 51. Fecit, quod Cajum Marium feciſſe audîerat; fecit, quod P. Craſſum, quod L. Syllam, &c.*

Inductionis exemplum habes egregium in Martiale lib. 1. Epig. 46. ut recenſet editio noviſſima, & purgata.

Meritò laudatur Inductio, quâ D. Augustinus invehitur in hominem improbum. Terram malam non vis; bonam arborem vis, equum bonum, servum bonum, amicum bonum, filium bonum, vestem bonam: solam animam vis habere malam. Inquo te offendisti, aut quid tantùm de te malè meruisti? non vis esse malum, nisi te solum.

Interdum similitudo ficta rei veræ accommodatur. *Si mihi*, ait Cicero pro Sextio *num. 45. in aliqua nave cum amicis meis naviganti hoc accidisset, ut, &c.* Catilin. 4. *num. 12. Etenim quæro: si quis paterfamilias, &c.*

Patientiæ fructum inductione ostendes cum D. Gregorii Homilia 15. in Evangelia. Sic uva calcibûs tunditur, & in vini saporem liquatur. Sic oliva trapetîs contusa suam deserit amurcam, & pingvem olei liquorem fundit. Sic area terendo glebas, paleam à tritico secernit. Sic ignis rubiginem ferri decoquit. Quisquis igitur appetit plenè vitia vincere, non repugnet rebus ad-

versis.

versis purgari, ut ad supremum Judiciũ tantò securior veniat, quantò purgatiorem ab omni macula criminis animum attulerit.

Quæ ratio sit tractandæ dissimilitudinis, facilè apparet ex iis, quæ de similitudine dicta sunt. Cicero Philipp. X, *num. 20:* cæteras civitates ait servitutem pati posse, non item Romam, quam illis in eo dissimilem probat.

Quid discriminis intersit inter judicium, & arbitrium docet pro Roscio Comœdo, *num. 10.* In quo discrepet suus reditus Romam à reditu summorum quorundam virorum, explicat in Orat post reditum ad Quirites, *num 6. Non enim pro meo reditu, ut pro Popilio, &c. non, ut pro Metello, &c.* Hoc ipsum argumentum tractat pro Sextio *num. 27, Quid enim simile fuit in Q. Metello, &c.* Jurisconsultum cum belli Duce comparat pro Muræna, *num 22.* & hunc illi dissimilem, ac multò superiorem esse contendit per incisa, antitheses, &c. *Vigilas tu de nocte, ut tuis Consultoribus respon-*

spondeat: ille, ut &c. Tu actionem instituis; ille aciem instruit, &c. Verrinâ 6. *num. 27.* Verris latrocinia, & sacrilegia opponit pietati, ac munificentiæ ejus antecessorum. *Videte, quanta religione fuerit, &c.* In Pisonem eleganter, & magnificè prosequitur, quàm dissimilis fuerit suus reditus ejus reditui.

Hunc, & alios summi Oratoris locos expende, & in similibus, aut dissimilibus argumentis imitare. Exempli causâ doce, quàm dispar, dissimilísq; sit hominis probi fælicitas felicitati hominis improbi, licèt humanîs commodîs, voluptatibûsque circumfluentis. Easdem adhibe figuras, & lumina, quibûs Tullium videbis uti. Bonas artes ad eundem modum aliis artibus oppone, ac superiores illis esse proba, Ciceronem secutus, tibi in Orat. pro Muræna præeuntem.

ARTICULUS V.

Exempla Loci ab Oppositis, Relatis, &c.

PHilip II. *num. 51.* laudaverat Antonius percussores Cæsaris, tanquam Reipu-

Reipublicæ defensores, & libertatis. Ciceronem, qui partes illorum amplectebatur, sicarium, & parricidam appellabat. Hæc inter se non conveniunt: si enim sunt parricidæ, laudandi non erant, ut patriæ defensores: si laudandi sunt; non est accusandus Cicero, qui illis favet. Acer hic locus est, vehemens. *Tu, homo sapiens, & considerate, quid dicis?*

Verrinâ V. initiô profitetur, se virtutes colere contrarias vitiis Verris, atque adeò jure illum à se accusari. Catilin. II. num. 25. quàm contrariæ sunt Catilinæ copiæ, quàm opposita causa copiis, & causæ Reipublicæ, docet egregiâ antithesi: *Pugnat illinc petulantia, hinc fides, &c.*

Roscium Amerin, longè à parricidii crimine abesse probat eô maximè argumentô, quòd vitam rusticam duceret, quæ à flagitiis gravioribus solet esse remotior, quàm urbana, num. 75. *Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni-*

omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur, è luxuria existat avaritia, necessè est, &c. Vita autem rustica, &c. Eadem ratione parricidii crimen cadere potiùs in Titum Roscium, quàm in Sextum Roscium, ostendit ab oppositis utriusque moribus, *num. 88. Restat, ut hoc dubitemus, uter--an is, ad quem,--an is.-- &c.*

Cœlium negat, *num. 47.* libidini deditum esse, quod repugnet tantam eloquentiam, quanta in eo elucet, cum lenociniis, & otio voluptatum consistere. Pergit *num. 48. An hic, si se isti vitæ dedisset, in hac forensi acie quotidie versaretur. subiret periculum capitis, &c.*

Rabirium Posthumum excusat à patre, qui, si cum externis Principibus egit sinè ullo probitatis, aut famæ periculo, non est. cur filius, eam ipsam ob rem condemnetur, *num. 2.* Pro lege Manil. *num. 10.* hortatur Romanos ad bellum Asiaticum suscipiendum à majorum exemplo, ut ne tanquam posteri degeneres meritò arguantur. *Pro vestri Imperii gloria, videte, &c.*

ARTI-

ARTICULUS VI.

Exempla Loci ab Adjunctis, ab Antecedentibus, & Consequentibus.

AB Adjunctis Tullius probat, Syllam non conjurâsse in patriam, *num*, 52. *Num quis est igitur*, - - quia nunquam versatus est cum conjuratis. Negat Sextum Roscium patrem interfecisse: quia interfectus fuit in urbe, cùm ruri esset Roscius. Negat Milonem insidias Clodio struxisse; quia cum eo depugnavit in loco ad insidias periniquo, & ubi Clodius poterat facilè insidiari Miloni, *num.* 54. In eadem Orat. *num.* 91. gravem invidiam conflat Clodio, quòd Curiam incenderit.

Philippicâ II. *num.* 104. exaggerat Antonii comessationes à circumstantia loci, domûs videlicet M. Varronis, hominis optimi, & temperantissimi. A circumstantia personæ ducit argumentum, cùm ait: à Roscio non fuisse occisum parentem, adolescente nimirum modesto, & ab urbanis flagitiis remotissimo, *num.* 39. Dejotarum in convivio non

sal-

ſaltaſſe ſenem probat, qui ſingulari ſit frugalitate, ac temperantiâ, *num. 16.* Cheræam Roſcii Comædi accuſatorem ab ipſo vultu, & oris totius conformatione fraudulentum eſſe conjicit. *num. 20. Nonnè ipſum caput, & ſupercilia illa abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis ungvibus ad verticem ſummum, &c.* Catilinæ deſcribit ſocios Orat. I num 10. *Nihil cogitant, niſi cædes, niſi incendia, &c.*

Supervacaneum videtur, hujus loci exempla conjungere, quorum in omnibus Tullii orationibus copia ingens in promptu eſt, præſertim in narrationibus, quarum veritas circumſtantiîs rei geſtæ expoſitîs, ùt par eſt, potiſſimùm nititur.

Ab Antecedentibus oſtendit Orator, in Murænam non cadere ſaltatoris nomen, & notam; quoniam in illo reprehendi non poſſunt, quæ ſaltationem neceſſariò antecedunt, ùt turpia convivia, libidines, ſumptus, &c. *num. 19. Nemo ferè ſaltat ſobrius, &c.*

A Con-

A Consequentibus ostendit, quanta pernicies immineat, si nihil auxilii sit in ea voce, *Civis Romanus sum*. Terr, 7. *num. 167.* Deterret Judices, ne Flaccum civem optimum condemnent à consequentibus malis, *num. 99.* Totâ Philippicâ 7. enumerat, quot impendeant civitati exitia, si Antonius in eam admittatur; Contrà verò, utilitates è Clodii nece orituras exponit, pro Mil. 78. Lege pro Plancio, *num. 14.* ubi recenset absurda, quæ consequentur, si rationes adversariorum audiantur. *Si, quotiescunque, &c.*

ARTICULUS VII.

Exempla Loci à Causis, Effectis, & Comparatione.

CAndelabrum, & pocula Cicero commendat à materia, Actione 7. in Verrem *num. 62. 64.* Ovidius regiam solis; & currum prolixè laudat lib. 2. Metamorph. Tullius Dianæ statuam à causa formali eleganter exornat Verrinâ 6. *num. 62. Fuit apud Segestanos, &c.* Vitæ tranquillitas, quibûs efficiatur causîs,

pul-

pulchrè deſcribit Martial. lib 10. Epig. 43. *Vitam, quæ faciunt beatiorem, &c.* Idem lib. 9. Epig. 18. Cur opes optet, explicat, nempè ut largiatur: *Credis ob hoc, &c.* Cicero. quæ cauſa Clodium impulerit ad ſtruendas Miloni inſidias, docet *num.* 22. nempe magna utilitas, tùm ſpes impunitatis.

Effecta Eloquentiæ, dignitatem ejus, & neceſſitatem, egregiîs & verîs effert laudibûs lib. I de Oratore, *num.* 30. Oſtendit Reip. hoſtem eſſe Antonium, non minûs, quàm ipſum Annibalem, Philip. V. *num.* 2.

Horatius ab eodem fonte haurit luculenta carmina, quibus ebrietatem vituperat. *Quid non ebrietas deſignat? operta recludit, ſpes jubet eſſe ratas &c.* lib. I. Epiſt. 5. Sic auri diram famem exagitares Quid ſceleris non ſuſcipit? quid non ſvadet auri ſacra fames? leges, & jura proculcat, nihil non habet venale, quemlibèr religioſum, ac ſanctum; altaria ipſa invadit, &c.

Locus à Comparatione ſpectat quan-

dam quantitatem, quâ res una major est, aut minor alterâ, aut ipsi æqualis: locus verò à similitudine qualitatem rerum, & proportionem tantùm attendit. Plurima sunt apud Ciceronem comparationis exempla.

Pro Roscio Amerino excusat Syllam, si omnia non potuerit advertere; cùm ne ipse quidem Jupiter possit, *num.* 131. Ex hoc loco disputat contra Cæcilium *num.* 40. pro Milone contra Clodium *num.* 4 item *num* 17 *Non est habita quæstio de morte complurium virorum clarissimorum; ergo multò minùs habenda fuit de morte Clodii.*

Pro lege Manil. *num.* 11. *Majores vestri. - - vos - -* &c. Pro Cœlio *num.* 54. *An ille Vir - - quod facinus in alterum hominem illatum severè acciperet, id omisisset curare in hospite*, &c. Pro Cœcin. *num* 45. Pro Plancio *num* 26. & 70. Verrinâ IV. *num.* 57 Phil. III 9 pro Silla *num.* 4. *Multi viri boni defendunt Syllam, nec idcirco reprehenduntur: ergo nec sum ipse reprehendendus, qui hunc defendam.*

CAPUT X.

Exempla Locorum extrinſecorum

ARTICULUS I.

Locus à Præjudiciis, Fama, & Tabulis.

PRæjudicia ſunt anteriora quædam judicia, quæ ad rei, & cauſæ præſentis judicium, ac deciſionem momenti aliquid afferre poſſunt. Superioribus enim Judiciis, ſi recte inſtituta ſunt, debent poſteriora conformari. Archiam in civitate retinendum, imò eâ donandum, ſi antea in illam non eſſet adſcriptus, probat Cicero; quia illum & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani civitate donârunt: Catilinam contrà ejiciendum civitate decet; quia multi cives nequam olim è civitate ſunt exterminati. *An verò vir ampliſſimus, &c.* I Cat. *num.* 3.

Contendebant accuſatores Milonis, eum à Senatu jam fuiſſe condemnatum, & à Pompeio. Utrumque hoc præjudicium, quod vehementer nocere cauſæ poterat, ſtatim refellit *num.* 12. & 15 Id verò in omni oratione diligenter videndum eſt, ut evellatur ex animis audito-

rum præjudicata opinio, si quæ sit. ac præsumpta, quæ illorum attentionem benevolentiam, aut docilitatem impediat.

Tullius præjudiciis utitur in rem suam Orat. pro Cluentio *num.* 55. 60. 97. 107.

Quam parùm famæ credendum sit, idem docet pro Cœlio *num.* 38. *Absuat fama. Quotusquisque illam effugere potest in tam maledica civitate, &c.* Judices obtestatur, ne famam audiant, pro Plancio *num.* 56 *Nihil est tam volucre, quam maledicum, &c.*

Archiam civem Romanum esse probat è Tabulis *num.* 8. Iisdem tabulis, & literis publicis civitatum sæpè utitur contra Verrem, ActioneVI. *num.* 140. VII. 101. &. aliis. Revocantur leges ad tabulas. Legum necessitatem, dignitatemque multis commendat Cicero pro Cluentio *num.* 146. eas impugnat pro Rabirio *num* 23. *Tu mihi etiam legis Porciæ &c.* Pro domo sua *num.* 53. 47. 43. Pro Mil. 10.

ARTICU-

ARTICULUS II.

Exempla Locorum à Jurejurando, Quæstionibus, & Testibus.

QUanta debeat esse jurisjurandi fides, ac religio, præclarè ostendit Orator lib. III. de officiis, *num. III. Nullum vinculum ad strigendam fidem jurejurandô Maiores arctius esse voluerunt, &c.* Elevat jurati testis fidem pro Rabirio Posthumo, *num. 16. Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea. etiamsi per plures Deos juret. non oportet.*

Idem argumentum urget pro Roscio Comœdo. *num. 46. Qui mentiri solet &c.* De toto genere quæstionum præcepta Cicero tradit in Partitionibus, *num 50.* Ea revocat in usum, & exequitur Orat. pro Sylla *num 74. Quæstiones nobis servorum ac tormenta, accusator minitatur, in quibus, &c.* Pro Milone, *nam 78. 59 Sed quæstiones urgent Milonem; &c.* Pro Roscio Am. *num 119. Dixi jam antea sapenumero, &c.*

Testium auctoritatem commpendat Verrinâ I. *num. 12. Sunt testes vestri clarissimi, &c.* Verr. VII. *num, 146.* Ver-

num. 166. Pro Roſcio Com. *num. 44. Manilio negas eſſe credendum? Eſt tuæ contumacia, &c.* Pro Archia *num. 27. Quid horum infirmari poteſt? Adeſt vir ſumma auctoritate qui ſe non opinari, ſed ſcire; non audiviſſe, ſed vidiſſe; non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Adſunt, &c.*

Infirmat teſtimonium pro Comœdo *num 9. & 42.* Pro Quintio *num. 17. & 25.* Pro Flacco tractat fusè hunc locum *num 9. 90. 25. &c.* pro Cœlio *num. 22. 63.* Leniùs, ac longiori circuitione Catonis teſtimoninm infringit, ac debilitat, pro Mur. *num. 58 In quo ego accuſatore primùm illud deprecabor, &c.*

Magnam vim ad perſvadendnm habent teſtimonia, dicta, & ſcripta eruditorum, & ſapientum, præſertim Veterum Itaque paulò ſunt ornatiùs, & ambitioſiùs proferenda. Ut, ſi dicas: An excidit animo celebris illa vox Platonis, quæ monet, &c. Venit mihi in mentem Xenophontis, qui, cùm ex eo quæreretur, &c. reſpondit--Deus immortalis! quàm multos & virtutis, & doctrinæ

laude

laude clarissimos homines intueor, qui cùm viderent, &c. Audio non invitus illud, quod Seneca Lucilio suo pluribus commendavit, &c. Non sinè singulari voluptate mihi revoco in memoriam illud effatum M. Tullii---cui potiùs, quam mihi fidem te habiturum certò scio Lætor, me posse virum insignem producere, qui te auctoritate sua meliùs, quam ego verbis meis, refellat: Augustinum dico, &c. Me quidem consolatur illa vox hominis prudentissimi, &c. Non subtiliùs dixit, quàm veriùs, vir egregius. Id quàm sit improbè factum, docet Philosophorum Princeps--Illud crebrò meministis, quod legitur apud---Præclarè mihi videtur dixisse Socrates, &c---

ARTICULUS III.

De familiari Locorum Oratoriorum usu.

QUomodo petenda sint ex omnibus locis argumenta? ℞ nulla rñe meliùs. quàm aliquot exẽplis declarari potest

Sit igitur laudanda Eloquentia: duces argumentum primò à definitione. Est ars persvadendi, seu ars tractandœ, &

movendæ voluntatis: Quid nobiliùs? quid hominum generi utiliùs?

2. A partium enumeratione. Ingenia puerorum firmat, juvenum cupiditates coërcet, consilia senum regit.

3. A notatione nominis. Vocem illam explicabis, *Eloquentia.*

4. A genere. Quantùm artes liberales mechanicis antecellunt, tantûm ipsis liberalibus anteit Eloquentia.

5. A specie. quid præclariùs quàm tenere dicendo hominum cœtus? quàm in foro dominari, in sacris concionibus vitia profligare, &c.

6. A simili. Finge tibi peritum belli ducem, qui aciem prudenter instruat, fortiter sustineat hostem, instet cedenti, victum, abjectúmque proterat: talem puta esse præstantem Oratorem. Vide, ùt explicat arma victricis facũdiæ, ùt &c.

7. A dissimili. Quid mirabiliùs infante puero, qui necdum formare voces per ætatem possit? quid homine cœco, &c.

8. A causis. DEUS auctor Eloquentiæ: finis ejusdem, privata felicitas, & publi-

publica: materia, quid est, de quo dici commodè eleganterq; possit: forma; sermo politus, actio concinna, &c.

9. Ab effectis. Negotiorum maximorum tractatio, patrocinium innocentiæ, sceleratorum licentia compressa, Eloquentiæ sunt effectus.

10. Ab adjunctis. Vide hunc Oratorem, cùm de superiore loco verba facit pendent omnes à dicentis ore, furentes inhibet, mœstos consolatur, inimicos conciliat, &c.

11. A contrario. Intuere contrâ plebeculam seditione aliqua concitatam; si nemo impetum insanæ multitudinis dicendo regit, quò non prorumpet impotens furor? &c.

12. Ab antecedentibus. Quàm terra, quàm deformis erat orbis terrarum facies, antequam è sylvis in oppida mortales Eloquentiâ convocaret, &c.

13. A consequentibus. Tolle hunc solem è medio; quid reliquum erit præter noctem, plusquam Cimmeriam?

14. A comparatione. Si negligendas

tibi artes bonas non arbitraris, quantò minùs eloquentiam cæterarum reginam negligere debes?

15. Testimonia sapientûm plurima sunt in promptu.

Laudare sobrietatem placet? dices esse adolescentiæ decus, tutelam castitatis, prudentiæ nutriculam, &c. Juventutis effrænatos coërcet motus, virorum consilia regit, honori senibus, & ornamento est. Sobria mens arci permunitæ similis est, ad quam nullus hosti aditus patet. Quid homine intemperante turpiùs; Describes illum ab adjunctis, cum è popina, vel intemperantissima perpotatione prodit. Effecta sobrietatis: Vitia comprimit, mentem illustrat, virtutes omnes conservat, ac tuetur. Exempla tot Sanctorum proferes, quibus nihil fuit è virtute antiquius. Eadem confirmabis, & ornabis comparatione à veteribus athletis ductâ. Si athletæ voluptatibus abstinebant, quæ debilitare corporis vires possint quantò magis homo Christianus ea fugere debet, quibûs infringitur animæ robur, & salus amittitur. PARS

)(†)(

PARS SECUNDA

De secunda Parte Eloquentiæ, sive Dispositione Oratoria.

CAPUT I.

De Exordio Orationis.

QUot sunt partes Orationis? *Resp.* Qutuor. Exordium, Narratio, Confirmatio, & Peroratio. Additur aliquando quinta pars, Confutatio: Sed hæc ad Confirmationem spectat, & cum illa semper conjuncta est.

Quid est Exordium? *Resp.* Est pars orationis animum auditoris comparans ad reliquam Orationem.

Quomodo comparatur animus auditoris? *Resp.* Tribus modis: si nimirum reddatur benevolus, attentus, & docilis.?

Quomodo reddi poterit benevolus. *Resp.* Reddetur benevolus. 1. Si virtutes ipsius commemorentur. 2. Si Orator de se demissè, ac modestè loquatur. 3. Si adversariis conflemus invidiam.

Co Quo-

Quomodo redditur attentus?

Resp. Si nos dicturos promittemus de rebus magnis, necessariis, & utilibus.

Quomodo fit docilis?

Resp. Si ostendamus, qua de re simus dicturi, & eam rectè dividamus.

Qualia esse debent exordia?

Resp 1. Accurata, & acuta. 2. Instructa sententiîs, & apta verbîs. 3. Ipsi rei, de qua agitur, convenientia. Itaque in gravi motu possunt esse vehementiora, & abrupta.

Quæ sunt vitiosa Exordia? *Resp.* Ista. 1. Vulgare, quod in plures causas potest acommodari. 2. Commune, quod in contrariam partem causæ potest convenire. 3. Longum, quod pluribus verbis, ultrà, quàm satis est, producitur. 4. Separatum, quod, tanquam membrum avulsum à capite, ipsi causæ non est connexum.

CAPUT II.

De Confirmatione.

QUid est Confirmatio? *Resp.* Est pars Orationis, in qua firmamenta causæ afferuntur.

Quot

Quot habet partes? *Resp.* Duas. Prima est, quæ propriè confirmatio dicitur, in qua ea quæ pro nobis sunt, firmamus, ac stabilimus. Secunda est: quæ, confutatio, seu reprehensio vocatur, in qua ea, quæ contra nos sunt, refellimus, ac confutamus.

Quid est status Orationis? *Resp.* Est quæstio, quæ ex causarum conflictione nascitur.

Da exemplum. *Resp.* Si accusator dicat: Milo insidias fecit: defensor contra; Milo insidias non fecit: ex illa conflictione oritur hæc quæstio: An Milo insidias fecerit? Atque hæc quæstio dicitur status: quia in eo tota causa stat & sistit: dicitur etiam judicatio; quia in judicium venit.

Quod discrimen est inter statum, & judicationem? *Resp.* Quòd status sit quæstio illa jam dicta; nudè spectata, sinè ratione, & firmamento. Judicatio verò fit eadem quæstio, quando cum ratione, & firmamento conjuncta est: propriè de statu judicamus, cùm ejus rationem, & firmamentum audimus. Quid

Quid est ratio? *Resp.* Quæ affertur à defensore ad depellendum crimen, quod in reum confertur.

Quid est firmamentum? *Resp.* Quod afferrtur ab accusatore ad probandum crimen.

Qutuplex est status? *Resp.* Triplex; Primo, an res sit. Ut, an Catilina conjuraverit 2. Quid sit res. Ut, an Cæsar Tyrannus fuerit. vel Rex. 3. Qualis sit. Ut, an Clodii cædes & justa & gloriosa fuerit.

Per quid argumenta in oratione collocantur? *Resp.* Per argumentationem.

Quid est argumentatio? *Resp.* Est fusior argumenti, & artificiosa explicatio.

Quot sunt argumentationis species? *Resp.* Quatuor: Ratiocinatio, Enthymema, Sorites, & Dilemma.

Undè sumitur quadruplicis hujusmodi argumentationis materia? *Resp.* Ex locis Rhetoricis, sumendo res certas, aut probabiles, quæ valeant ad conficiendam aliquam argumentationem.

Quænam res habentur pro certis? *Resp.*

1. Quæ

1. Quæ corporis ſenſibûs percipiuntur. 2. Quæ communi omnium opinione probantûr. 3. Quæ legibûs cautæ, & moribus receptæ ſunt. 4. Quæ jam probatæ ſunt, & adverſariis conceſſæ.

Quænam res habentur probabiles? *Reſp.* Eæ, quæ ferè ſemper accidunt; ùt liberos à parentibus amari. Et quæ ſpeciem aliquam veritatis habent.

CAPUT III.

De Argumentationis Speciebus.

RATIOCINATIO.

QUid eſt Ratiocinatio? *Reſp.* Eſt argumentatio perfectiſſima, ſuis omnibus conſtans partibus, certôque inter ſe ordine connexîs. Syllogiſmus, alio nomine vocatur.

Quænam ſunt ejus partes? *Reſp.* Tres præcipuè: Propoſitio, Aſſumprio, Complexio. Da exemplum.

Omne vitium eſt fugiendum. Propoſitio,

Atqui pigritia eſt vitium. Aſſumptio

Igitur pigritia eſt fugienda. Complexio.

Quod

Quòd si propositioni subjiciatur sua probatio, & sua item assumptioni adjungatur confirmatio, erunt quinque partes, & ex tripartita, fiet Ratiocinatio quinquepartita.

Da Exemplum. *Resp.* Omne vitium est fugiendum. En Propositio: Quia turpe, & perniciosum est. En Propositionis probatio: Sed pigritia vitium est. En Assumptio. Quia rationi adversatur, & innumera damna creat. En Assumptionis probatio Igitur pigritia fugienda est. En Complexio.

Estne semper servandus ordo ille propositionum? *Resp.* Non: sed eum ad vitandam satietatem multis modis variare oportet, modò ab assumptione, modò à complexione, &c. ducendo initium.

Enthymema.

Quid est Enthymema? *Resp.* Est pars ratiocinationis, seu ratiocinatio imperfecta.

Quomodò fit? *Resp.* Tollendo unam ex primis propositionibus, nimirum vel propositionem, vel assumptionem: ut,

Pigri

Pigritia eſt vitium; igitur eſt fugienda. vel hôc modo: Omne vitium fugiendum eſt: igitur pigritia fugienda eſt.

Inductio, ſpecies quædam enthymematis eſt, quæ ſcilicet è multis rebus unam aliquam colligit. Coacervatio illa multarum rerum obtinet antecedentis locum; conſequentis verò id, quod colligitur. De Inductione mentionem fecimus capite 9. Partis I. artic. 4

Quot modìs fit? *Reſp.* Duobûs. I. Enumeratione omnium partium, ſub aliquo genere contentarum: Exempli gratiâ. Prudentia laudanda eſt, juſtitia laudanda eſt, itemque fortitudo, & temperantia: ergo omnis virtus laudanda eſt.

Quônam aliô ſit modô? *Reſp.* Multîs comparationibûs ad rem idoneîs ſimul collectîs: ùt ſi dicas: Quis optimus arborum fructus, niſi qui ſuaviſſimus? quod aſtrorum primum, niſi quod clariſſimum: quis equus maximè inſignis, niſi qui velociſſimus? Ita hominum nobiliſſimus is erit, non qui generis claritate, ſed qui virtute maximè præſtat.

Quid

Quid inductione hac observandum? *Resp*. Duo diligenter cavenda sunt 1. Ut, quæ sumuntur, certissima sint. 2. Ut id, cujus confirmandi causâ fit inductio, sit iis, quæ sumuntur, simile.

Quid est exemplum? *Resp*. Est inductio imperfecta, ex qua ab uno simili facto, argumentamur ad aliud, ut: Horatius non fuit comdemnatus, quòd sororem necaverit; Ergo nec Milo condemnatus, quòd hominem occiderit. Vide, quæ superiùs dicta sunt de exemplo cap. 9. art. 4. Revocatur exemplum ad secundam speciem argumentationis, sive ad Enthymema: item Epcherema.

Quid est Epichrema?

Resp. Est brevis ratiocinatio, cujus omnes partes in unam conferuntur: ùt: Sinè causa servus Dominum accusat? Quæ argumentatio, addendo alias partes; quæ subintelligitur, ad ratiocinationem rednceturr. partes autem subintellectæ, in exemplo allato istæ sunt. Non debet servus sinè causa Dominum accusare: iste hominis hujus servus est; ergo, &c.

Sorites. & *Dilemma.*

Qud eſt Sorites? *Reſp.* Eſt argumentatio quædam generalis, multas particulares acervatim convolvens, & amplectens: unde latinè dictus eſt acervalis: ùt: Quod eſt bonum, eſt expetendum; quod expetendum, approbandum; quod approbandum, laudabile.

Quid eſt Dilemma! *Reſp.* Eſt ratiocinatio imperfecta, conſtans duabûs partibûs contrariîs, quarum utramlibet concedat adverſarius, reprehenditur. Antonium urget Cicero Dilemmate, phil. *II. num. 31. Cæſaris percuſſores, aut fuerunt parricidæ, aut Patriæ defenſores: ſi parricidæ; cur eos laudaviſti? ſi patriæ defenſores; cur eorum patronos accuſas, & me inſectaris?* Catilinam hortarur, ut Româ diſcedat. *Diſcede, atq; hunc mihi timorem eripe: ſi verus; ne opprimas:: ſi falſus; ut tandem aliquando timere deſinam.*

CAPUT IV.

De Peroratione.

QUid eſt peroratio! *Reſp.* Eſt orationis poſtrema pars, in qua Orator id, quod

quod totâ oratione contendebat, majori vehementiâ evincere & obtinere nititur.

Quot præcipuas habet partes? *Resp.* Duas: Amplificationem, & enumerationem, sive Anacephalæosim.

Quomodò benè fit Amplificatio in Peroratione? *Resp.* Primò, si moveatur priùs ipse Orator, quàm alios moveat. 2. Si ea ritè observentur, quæ de amplificatione infrà dicemus.

Quomodo fit Enumeratio, seu Synopsis rerum dictarum in tota oratione? *Resp.* Si, quæ fusè dicta sunt, eorum breviter repetitio fiat. Exempla lege in Tullio.

CAPUT V.

Quædam observanda in singulis partibus Orationis.

ARTICULUS I.

De Propositione Orationis.

POst exordium orationis proximè sequi debet ejus propositio, & divisio. In propositione observandum, ut sit una & non multiplex; quia ex ejus unitate pendet

pendet unitas orationis. Est autem una propositio, quæ simplici sententiâ constat: verbi gratiâ: *Bellum est gerendum. Plurimum affert urbibus ornamenti tractatio literarum. Talis est civitas, qualis est juventutis institutio. Profani auctores quomodo in Scholis Christianis prælegendi. Paucos præstat libros legere, quam multos* & alia id genus. Hinc intelliges, problema, sive quæstionem, quæ disputatur in utramque partem, uni orationi minùs aptum esse; efficit enim geminam propositionem: exempli causâ: *Utrum arma togæ cedant, an armis toga.* Si primùm de toga, tum de armis dicas, erit duplex oratio.

Propositio debet habere aliquid gratiæ, novitatis, utilitatis, contentionis, & controversiæ. Nam si argumentis, ut probetur, non eget, sed nudâ expositione, aut exornatione rerum; vix differet ab historica narratione; nec habet ille propriè orationem, qui profitetur id se suscipere, v.g. ut mores aulicorum, ut avaritiæ sordes describat; aut, aliquid ejusmodi, quod sit explicationis alicujus,

nullius

nullius contentionis. Id patet ex orationis definitione quæ aliud nihil est, quàm opus Oratoris. Orator autem is est, qui persvadere aliquid dicendo nititur. Conveniat etiam oportet. propositio ætati, conditioni, moribus Oratoris; eadem auditoribus, tempori, & loco accommodata esse debet.

Propositio certas in partes plerumque dividenda est: tum quia partitio lucem affert orationi, & ordinem; tum quia memoriam dicentis pariter, & audientis adjuvat. Sunt autem hæ divisionis leges: ut fiat in partes, quæ totum, quod dividitur, omnino complectantur, & adæquent: ut illæ non sint nimis multæ tres vulgò, ad summum quatuor: ut eædem sint invìcem distinctæ, & oppositæ, nec una includat alteram: ut claræ sint, & obviæ, non petitæ longiùs, aut recōditæ; non contortæ & ad ostentationem ingenii potiùs, quàm ad distinctionem argumenti comparatæ: ut singulæ demum partes eōdem ordine tractentur, quô sunt propositæ.

ARTICULUS II.
De Divisione Orationis.

DIvisio peti potest à multis capitibus. I. A casu, & fortuito quarundam rerum in eandem causam concursu. Ita Cicero dicturus pro M. Marcello, laudat primò Cæsaris clementiam; deinde suspiciones ejusdem Cæsaris Marcello infestas evellere conatur: Hæc enim duo admodum erant, quæ illa causa postulabat, ita ut alterum demptô alterô mancum foret. Similiter in secunda Philippica profitetur, pauca pro se dicturum multa contra Antonium: ac priori parte diluit nonnulla quæ Antonius in se reprehenderat; posteriori vitam Antonii à pueritia exorsus, describit. Sic Demosthenes primâ Philippicâ ostendit, bellum strenuè suscipiendum, deindè, quomodo geri commodè possit, docet.

II. Ducitur divisio interdum ab oratione ipsius adversarii. Ita Cicero pro Muræna: *Intelligo, Judices tres totius accusationis fuisse partes & earũ unã in reprehensione vitæ, alterã in contentione dignitatis tertiam in criminibus ambitûs esse versatam.*

III. A partitione rei propositæ, quæ, ut genus in species, vel tanquam totum in suas partes, distribuitur. Probat Cicero, præditum esse bellicâ virtute Pompeium, atque adeò unum in primis aptum bello Mithridatico absolvendo, quia inest in eo scientia rei militaris, fortitudo, auctoritas, felicitas.

IV. A variis argumenti dotibus, & adjunctis. Si vg. Ciceronem deterrere velis, ne vitam ab Antonio petat, dices: id esse inutile, ac turpe Ciceroni.

V. A circumstantiis temporis, præterito, præsenti, futuro. Sic ages pro mercatore, à quo pecunia injustè repetitur. Pecuniam bonîs artibûs quæsivit, tum jure illam retinet. Laudabis hominem à pueritia bene acta, & ab ætate consequenti.

VI. A variis ejusdem rei respectibus. Ita vituperabis Catonem, quòd sibi necem consciverit, quia fecit injuriam auctori naturæ, cujus jura violavit & patriæ, cui civem optimum eripuit, & sibimetipsi, dum rectè agendi, & fortiter patiendi locum perdidit, VII.

VII A causis rei. Sic ostendes, indignam esse homine Christiano vitam voluptati deditam, quæ neq; DEUM habere auctorem, & approbatorem possit, neque ad eum, ùt finem, referri.

VIII. Ab effectuum div sione Vitanda est gula, quæ corpori, & animæ exitialis est.

IX Ex ipsius primarii syllogismi propositionibus, & præcipua ratione, ac firmamento causæ. Lubet commendare crebram precationem? hoc utêris argumento: quia sinè precatione perseverare in gratia Divina nemo potest, ac mortem opportunam consequi.

Hoc argumentum deduces in tres propositiones, quæ totidem partes orationis efficiunt. Prima hæc erit: Illud est crebrò, ac diligenter usurpandum, sinè quo nullus idoneum, ut perseveret in divina gratia, auxilium obtinere potest Altera: atqui nemo sinè precatione &c. Tertia: ergo precationi sedulò incumbendum.

X. Ab adjunctis personarum, loci, &c.

ARTICULUS III.

De Argumentorum delectu.

POst orationis propositionem, ac divisionem, sequitur Confirmatio in qua probatur prima pars divisionis; cùm altera, & tertia, si totidem sint. Videndum, ut singulæ proponantur dilucidè, ut aliæ ab aliis distingvantur, & ab una gradus fiat ad alteram per idoneam transitioné.

Probationes, ùt jam diximus, vel sunt in ipsa re quasi positæ; ùt illæ, quæ ducuntur à definitione, ab enumeratione partium, genere, specie, &c. vel sunt extra rem; ùt quæ petuntur ab antecedentibus, consequentibus, similitudine, comparatione. & auctoritate. Auctoritas porrò si sit incerta, & à rumore sumpta, dicitur Fama: si jam olim examinata, Præjudicium; si petita ex legibus, decretis, &c. Tabulæ: si sacramento sancita, Jusjurandum; si extorta suppliciîs, Tormentum; si hominis probi voce vel scriptô nixa, Testimonium.

Præter hæc argumenta communia sunt alia quædam propria trium dicendi

gene-

generum, Demonſtrativi, Judicialis, Deliberativi. Exempli causâ, in genere deliberativo, & judiciali rationes ducendæ ſunt ab juſto, legitimo, utili honeſto; facili, poſſibili, neceſſario: nullum enim erit in perſvadendo negotium, ſi oſtendas, rem fieri poſſe: & quidem facilè: nil eſſe in ea, quod cum officio pugnet: multum ab eadem commodi, & voluptatis colligendum: denique, ſumma inſtare, niſi fiat, pericula, & exitia. In genere laudativo, quod Rhetores Epidicticum, ſeu Demonſtrativum appellant, laudatur homo à parentibus, à patria, virtutè, rebus geſtis, &c. Urbes, à conditoribus, civibus, ædificiis, &c: Artes, ab utilitate, dignitate, neceſſitate, &c.

Hìc obiter illud monebo: quidquid ſcribitur, ad unum ex illis tribus dicendi generibus eſſe revocandum. Ita fiet, nulla ut ſit ſententia, quæ ſex orationibûs argumentum non ſubminiſtret: aut enim ſvadebis aliquid, aut diſſvadebis: laudabis, aut vituperabis: accuſandi demum, vel defendendi partes ſuſcipies.

Quæ copia mirificas utilitates habet, præſertim cùm dicitur ex tempore. Singulis autē argumētis in unoquoque genere ſupellectilem rationum idoneam adjungere operoſum non erit, ſi quis locos oratorios bene cognitos habuerit.

In eligendis probationibus earum habenda ratio præſertim eſt, quæ auditorem tangunt, quæ illius opinioni, animo conditioni, ætati ſunt accommodatæ. Trahimur omnes boni ſpecie, vel falsâ, vel verâ: ſed aliud aliis bonum eſt; his utile, illis jucundum, nonnullis honeſtum: alia alio tempore juvant, ac placent. Quia porrò ducuntur homines rationibûs, prout affecti ſunt, præter probationes, quibûs intellectus illuſtratur, excitandi ſunt etiam, ſi argumentum id ferat, affectus & voluntas promovenda, idque proprium munus amplificationis eſt. Quamobrem perutile fuerit, mores hominum, & naturam perturbationum animi apprimè nôſſe.

Affectus varii pro diverſo cauſarum genere concitantur: v. g. in ſvaſione

ſpes;

ſpes, audacia, deſiderium; in diſſvaſione: timor, fuga, deſperatio; in laudatione: amor, admiratio, æmulatio, ſive imitandi ſtudium; in vituperatione: odium, & ſævitia; in defenſione, amor, & clementia.

ARTICULUS IV.

De Compoſitione, & Structura Orationis.

SEquitur, ut inventas, ac diſpoſitas rationes tractemus. Tractantur illæ per ratiocinationem, vel enthymema, vel alias, quæ jam ſunt explicatæ, argumentationes. Quamlibet igitur rationem informabis in modum enthymematis, vel ſyllogiſmi, & primas ejus quaſi lineas adumbrabis. E tribus ſyllogiſmi propoſitionibus, videbis, quænam indigeat probatione, quænam omitti poſſit, quænam fuſiùs, quænam breviùs tractari debeat: ſunt enim aliquæ tam perſpicuæ, ut eas, qui probare velit, actum agat. Eaſdem propoſitiones, quibûs figurîs illuſtrare deceat, proſpice; quis inducendus tabellæ rudi color verborum, & ſententiarum.

Ubi omnia constituta, & suis digesta locis fuerint, accinges te ad scribendum, & offeam illam veluti coaugmentationem explebis, ac sua carne vesties: nec monendum rursus puto, ut ordinem illarum propositionum consultô perturbes; nunc initium ducendo à complexione, sive conclusione: nunc ab assumptione (sic minorem propositionem Rhetores appellant) nunc à probatione, sive exornatione majoris propositionis quod in Tullio, quemadmodum fiat, observare licet. Illud verò hortor etiam, atque etiam, ac moneo, ut auditoribus sæpè revoces in memoriam (quod sine fastidio tamen fiat) quid agatur, quid probandum susceperis. Ita Cicero, cùm pro Milone agit, centies illud, at mira varietate repetit. Igitur Milo insidias Clodio non struxit. In eoque Oratores multi peccãt, quos si paululùm modò dormitet auditor, ut aberret, si filum orationis amiserit, consequi deinde non potest, & ubi sint, quam orationis partem tractent, nusquam, aut serò deprehendit.

Iisdem,

Iisdem argumentis vulgò moventur affectus, quæ ad fidem faciendam usurpantur; sed tractandi modus dispar. Ad probandum quippe adhibentur argumenta subtiliùs, & presliùs; ad movendum copiosiùs ac vehementiùs: Illic explicantur, distenduntúrque; hìc urgentur, ingeruntur, & inculcantur. Hinc exstitit illa, in qua dicendi facultas triumphat, amplificatio, quæ labantibus animis, tanquam aries muro nutanti, validiùs incutitur: Quinam loci potissimùm serviant amplificationi, dicetur fusiùs Parte quarta.

ARTICULUS V.

Locus duplex Refutationis.

Confirmationi adjungenda est Refutatio, si fuerit opus, quam plerique vitiosè omittunt. Ejus munus est diluere, quæ nocere possunt causæ, nobísque non temerè objici. Sunt autem ea duplicis generis: quædam, enim ita causæ nocent, ut iis occupatus, & præpeditus auditor, judexve amicas, & attentas aures accommodare nequeat: Talia sunt:

nonnulla præjudicia, & opiniones insitæ, quæ nisi evellantur, surdîs auribûs orationis fragor alliditur. Hæc præjudicia statim sunt amovenda, quô artificiô usus in Miloniana Tullius est.

Alia quædam nascuntur ex oratione ipsa: cùm aliquid in mentem viri prudentis venire potest, quod allatæ probationi opponat. Hunc illi scrupulum, nisi eximis, ægrè assentietur, tecúmque pugnabit, usque dum telum, quod tacitus conjicit, retundas. Quamobrem rectè, ac prudenter faciunt, qui, dum prima lineamenta orationis adumbrant, & illos, de quibus dicebam modò, syllogismos informant, simul attexunt, more philosophico, quid objicere cuilibet propositioni non rudis, neque hebes adversarius posset, idque sedulò solvere ac refutare conantur: sed arte adhibita: alia enim elevantur jocô; alia deprecatione molliuntur, eluduntur prætermissione, contentione perrumpuntur. Plenæ sunt exemplorum Orationes Ciceronianæ.

AR-

ARTICULUS VI.

Quid in Oratione scribenda peccari vulgò soleat.

IN oratione ſcribenda peccari hæc ſolent. Alii cæcô velut impetû aggrediuntur ad ſcribendum: quodcumque congruit argumento propoſito, arripiunt, in eoque deſudant ſæpè fruſtra. Facerent multò commodiùs ſi materiam ſcribendi probè cognitam digererent in ſuas partes, probationibûs inſtruerent, quemadmodum docuimus; ac totius ædificii deſcriptionem, primîs adumbratam lineamentîs, antè adornarent, quàm aggrederentur ad ædificandum.

Alii verbîs abundant; rebùs, ac ſententiîs carent. Niti vulgò debent probationes aliquâ ſententiâ, & effatô, unde vis tota ratiocinationis ducîtur. Illud autem aptè inſerere, ac ſæpè diſſimulanter, artis & conſilii eſt. Alii contrà, toti ſunt in ejuſmodi ſententiis gravibus, quæ à Rhetoribus Theſes appellantur; ad hypotheſim, ut eorundem Rhetorum verbo utar, & cauſam ipſam vix unquã dela-

delabuntur: quo nihil eſt mendoſiùs, præſertim in Oratoribus ſacris, quos interdum videas de moribus & Christianâ diſciplinâ universè diſſerere, nec ineleganter: & captare ſic plauſum ab auditore non invito, quippe qui ſuas aures mulceri, non pectus concuti, non carpi vitia, non ſe privatim premi ſentit.

Alii ſiccè, anguſtè, & exiliter ſcribunt. Audendum aliquando, nec ſemper legendum littus, procellæ metu. Succus, vigor, dignitas orationi concilianda, tùm rerum copiâ, & erudita ſupellectile, quæ colligi undecumque debet, tùm varietate figurarum, & ſplendore. Ciceronē vide, ùt rem eandem multîs verſat modîs, atque illuſtrat; nunc interrogando urget, nunc quaſi adverſario interroganti reſpondet: aliàs addubitat, quid è multis unum, aut quô pactô dicat; ſæpè cum iis, qui audiunt, ſæpè cum adverſariis, aliquando ſecum ipſe deliberat: Hominum ſermones, conſilia, mores, ora, pingit, inducit perſonas fictas, exclamat, jocatur, iraſcitur, deprecatur, &c.

Qui-

Quidam agunt omnia duritèr, & acerbè, seqe tùm pulchros, ac beatos putant, cùm adversarium malè verbîs acceperunt. Næ illi longè errant. Minîs, vociferatione, jactatione ista parùm proficitur. Veritate, benevolentiâ, & amore ducendi sunt homines: ac si quid increpas, minaris, objurgas, id prudenter admodum, & cautè faciendum, imò etiam leniter, & amicè. Denique videre est, qui vastè & rusticè, infacetè pronuntient. Dapes vel optimæ, si squallida in mensa, & patinis olentibus apponantur, sordent. Illos emendare Declamatio, sive ars benè pronuntiandi, de qua subjiciam pauca, debet. Hæc ultima è quinque Eloquentiæ partibus vulgò numeratur.

ARTICULUS VII.

De Pronuntiatione, sive: Arte vocis, & gestûs.

Hujus artis duplex labor: in voce, & gestu. Vox ne sic demittatur, ut ad aures etiam longiusculè disjunctas nequeat aspirare. Absit ab eadem unus quidam tenor, & semper æqualis intentio:

rio: modò attollatur, modò deprimatur, modò concitatior sit, modô sedatior. Imitanda natura, quæ aliam vocem tribuit irato homini, aliam supplicanti, aliam narranti: mœsto, hilari, juveni pariter, ac seni, aliam. Cavendum, ne vocem abrumpas ibi, ubi non decet: ne continenti spiritu pronunties nimis multa, sed clausulas, & interpuncta sermonis accuratè serves; quæ tanquam repagula orationi objiciuntur, ut cursum paulisper inhibeat. Mendosè illud fit à nonnullis, dum carmina Hexametra recitant, ut totidem versibûs impetum vocis, modumque definiant: aut in recitandis Pentametris hæreant, consistántque paulisper ante dissyllabam dictionem, quâ vulgò ejusmodi versiculi clauduntur. Lex ea teneri debet, ut eò usque vox procurrat, dum sententia sit absoluta, nisi fortè protrahatur verborum complexio tam longa, ut uno spiritu volvi non possit: tunc enim modicè licebit in medio consistere. Cautio imprimis adhibenda, & sollicitudo, ut extremæ vocum particulæ

distin-

distinctè efferantur; solent enim intercidere cum gravi sententiæ detrimento. Nam quòd nasô quidam plùs loquantur, quàm ore, quòd blæso trunca & hiulca verba supplantent palato; cùm naturæ vitia plerumque sint, emendari utcumque possunt, tolli omnino vix possunt.

Jam, qui ad recitandum quidpiam, ac declamandum exercebuntur, juvabit illis voce demissa, quasi familiariter; explicare, quod recitaturi sint: prima quippe cura in eo ponenda, ut probè intelligant, quodcumque sunt dicturi: eamque ob rem utile fuerit jubere, ut in patrium sermonem illud ipsi convertant, imò ut vernaculè paulisper declament, quasi agerent cum socio vel cum persona nota: sic enim facilè percipiunt, quò tonô vocis utendum quô gestû. Ubi sententiam vocibus subjectam habuerint exploratam, & actionem quasi primis informatam lineis, licebit vocem attollant, & majores induant, si res poscat, spiritus. Advocandi etiam

erunt amici, aut affines, qui privatim dicentes antè audiant, quàm in suggestum producantur: præsertim si sunt in declamando rudes: sic enim confirmantur, & alieni, aut ignoti cujuspiam voce, monitísque plùs interdum moventur, quàm præceptoris, cui assueverunt.

Ut in voce, sic in gestu formando, certæ sunt leges, certi fines. Habitus corporis, ac status firmus, stabilis, & rectus esse debet. Caput ne obstipum sit, vel in alterutrum humerum nimis deflexum: ne temerè jactetur, aut subrigatur. Manus modicè à pectore projiciantur; ne vulgò attollantur ita, ut humeros excedant; nè hinc inde veluti mancæ pendeant; nè ansatis ambæ lateribus arcuatim innitantur; ne in pugnum facilè colligantur: ne protendantur rigidiùs; ne sæpiùs, aut sinè gravi causa collidantur, complodantúrque. Digitus, quem indicem vocant, sublatus, & vibratus identidem, reliquis intrà manum pressis, vix dignitatem habet; annularis, & medius decenter cō-

jun-

junguntur, aliis paulùm diductis. Vola plana vulgò fit: tota manus circa carpum, ùt cubitus circa latera, honestè circumagantur. Turpe est ingredi liberiùs, aut pedes motare, cùm aliquem alloqueris, nisi id fiat significandi causâ. Ne sint nimis disjuncti pedes, ne valgorum ritu, aut varorum, intorti, ne spatiô semper æquali inter se distent, ne demum crebrò, ac temerè supplodantur.

Docebunt hæc pueros magistri saltandi, quos in arte sua consuli, & audiri par est: aspectus ipse hominis non impoliti, nec inexperti, si quid mendosum sit, facilè animadvertet. In gravioribus animi perturbationibus exprimendis, abire paulisper ab his regulis nefas non est; modò tamen decorum ubique teneatur.

PARS TERTIA

De Oratoria Elocutione.

EGimus hactenus de duabus primis Elo-

Eloquentiæ partibus, Inventione, & Dispositione: restat tertia difficillima, de Elocutione. Hæc nihil aliud est, quàm scribendi ratio numerosa, & ornata. Numerosam efficiunt Periodi, ornatam Figuræ.

CAPUT I.

Definitio, Partes, & Usus Periodi.

ARTICULUS I.

QUid est Periodus? *Resp.* Vox ista Periodus græca est, significatque circuitum, ambitum, & comprehensionem quandam verborum ab initio ad finem; ùt ait Aristoteles, breviter deductam. Definiri Periodus rectè potest: *Sententia, sive oratio brevis, certîs partibûs, à se invicem suspensîs, numerosè comprehensa.* Hinc vides ad Periodum requiri tria. Primum, ut sit oratio brevis, nempe, quæ facilè conspici, pronuntiari, memoriâ teneri possit. Alterum, ut ejus partes sint aliæ ex aliis aptæ, cohærentes, & suspensæ. Tertium, ut numerosa sit. In quo numerus iste consistat, dicetur Articulo 2.

Quæ-

Quænam ſunt partes Periodi? *Reſp.* Majores dicuntur membra, græcè *cola*: Minores inciſa græcè *commata*.

Quid eſt membrum Periodi? *Reſp.* Eſt periodi pars major, ſenſum aliquem habens, ſed imperfectum, qui ſcilicet ab antecedentibus membris, aut conſequentibus pendeat: *Ut, ſi amico laboranti opem tuliſſes*: en primum Periodi membrum ex quo ſequi alterum debet: v. g. *Nunquam ille profectò in tantam calamitatem incidiſſet.* En alterum membrum à priori dépendens.

Quænam ſunt dotes membri periodici? *Reſp.* Tres. Prima, ut illi ſenſus aliquis ſubſit; ſenſum autem efficit verbum activum aliquod, aut paſſivum, ſuo regimini, ùt loquuntur, adjunctum: ùt, *amico laboranti opem ferre.* Altera, ut ſenſus ille ſit imperfectus, & ab alio dependens membro: ùt, *ſi opem tuliſſes, &c.* Tertia, ut non ſit nimis prolixum. Magnitudinem vulgò definiunt Rhetores eam, quæ uno ſpiritu commodè proferri poſſit, qualis ferè eſt hexame-

tri.

tri versus, cui sex pedes attributi fuerunt; quia continentî, nec intermissô spiritû volvi non incommodè possunt. Hæc tamen magnitudo non ita est observanda religiosè, ut protrahi ulteriùs non possit, præsertim si spiritus dicentis longiorem ferat verborum ambitum, aut rei gravitas illum poscat.

Quid est Incisum? *Resp.* Est pars brevior membri periodici, sensu, aut magnitudine idonea carens; in quo nempe verbum desideratur, aut mensura hexametro versui par: ùt, *in hac iniquitate rerum*: En Incisum verbo carens. Item *in hac perturbatione temporum*: adde verbum, exempli gratia: *Nemo est*: efficies unum membrum: subjice duo incisa cum suo verbo, alterum habebis membrum, &c. Periodum perfectam: *Nemo est in hac perturbatione temporum, in hac iniquitate rerum, quin ubivis,* (primum incisum) *quàm ibi, ubi est*, (alterum incisum) *esse malit*: En tibi aliam Periodum bimembrem, cujus membra singula incisîs constant. *Quæ soli uber-*

tas,

tas, & affluans rerum omnium copia, ad Capuam Pœnos emollivit, eadem variîs captos voluptatum illecebrîs in Græcia, Syriaque Romanos infregit.

Quot membris constare Periodus potest? *Resp.* Unô, duobûs, tribûs, aut quatuor; interdum pluribûs, sed rariùs. Quæ unô constat, vocatur Monocolos; quæ duobûs, Dicolos, seu bimembris: quæ tribûs, Tricolos, seu trimembris: quæ quatuor, Tetracolos, sive quadrimembris. Singularum exempla postea proferemus.

Estne semper utendum Periodis? *Resp.* Non semper: licet interdum dicere membratim, aut incisim, maximè, cùm adhibentur figuræ, cùm amplificationis velut acies instruitur. Periodicè vulgò dicendum in exordiis, in majoribus, ratiocinationis propositionibus, &c.

Quid est periodicè dicere? *Resp.* Est uti frequentibûs Periodîs. In quo diligenter cavendum, ne omnes parî numerô membrorum constent, sed longiores,

giores brevioribus appositè misceantur.

Quid est membratim, aut incisim dicere? *Resp.* Est varia frequentare incisa, vel membra, quæ nullô inter se nexû jungantur: ùt, *Hunc Principem natura finxit ad regnum; Virtus ad pietatem erudivit; Fortuna erexit ad solium; Fortitudo victoriis coronavit.* Junge hæc membra inter se aliquô vinculô, Periodum feceris: exempli gratiâ: *Hunc Principem non modò natura finxit ad regnum, virtus ad pietatem erudivit, fortuna erexit ad solium: sed etiam victoriis ingentibus fortitudo coronavit.* Orationis incisim fusæ exemplum hoc esto *Puerorum negotia non alia sunt, quàm nugari, garrire, hac, illac vagari, ludo genioque indulgere* Item, *Christiana humilitas modestiam amat, latebras aucupatur, ambit despici, honore cruciatur.* Item illud ex oratione pro Archia Poëta: *Studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Quæ-

Quænam sunt vitia Periodi? *Resp:* Hæc præcipua: Si parùm compta, & numerosa sit, si obscura, si longior, si referta verbîs inanibûs, quæ numero tantùm, auribusque serviant, si eôdem sæpjùs modò claudatur.

Quid confert orationi Periodus? *Resp.* Ut svaviùs ad aures accidat, molliùsque, ac faciliùs in animum influat.

ARTICULUS II.

Ars Periodi contexendæ.

QUid opùs est factô, ut Periodus componatur? *Resp.* Primò, est eligenda sententia, quæ Periodi materia sit. 2 Quærendæ partes, & membra, è quibus Periodi corpus constet. 3. Membra illa inter se nectenda sunt. 4. Verba certo sunt ordine disponenda, unde numerus & svavitas orationis existat. Materiam Periodi subministrat inventio oratoria, & ipsum dicendi argumentum. Numerus aurium judiciô magìs dignoscitur, quàm præceptis explicatur. Consistit ille in certa quadam syllabarum, modò brevium, modò longarum

rum colloratione, quæ aures mulceat, & quemdam quasi concentum efficiat. Exemplum esto. *Te miror, Antoni, quorum facta imitaris, eorum exitus non perhorrescere.* Solve hæc verba, & aliô modô dispone, non erit idem concentus. *Antoni, te miror, non perhorrescere illorum exitus, quorum imitaris facta.* Aut, *quorum imitaris facta, eorum non perhorrescere exitus.*

Eundem Tullium audi de numero oratorio sic præcipientem: *Neque numerosa* Inquit, *oratio debet esse, ùt poëma: neque extra numerum, ùt sermo vulgi.* Cavendum imprimis, ne iisdem pedibûs, eôdemque numerô Periodi omnes claudantur. Plùs artis, & laboris est in dilatanda Periodo, quàm in membris illius inveniendis.

Quô pactô dilatari Periodus, & in plura fundi membra potest? *Resp.* Primò, per definitionem singularum vocum, è quibus propositio Periodi componitur. Placet, exempli causâ propositionem hanc periodicè amplificare,

DEUS

DEUS virtutem remuneratur. Expone, quæ notio ſubjecta ſit huic voci, *DEUS*; tum iſti, *Virtus*; denique huic poſtremæ, *remuneratur.* Cùm DEUS rerum omnium arbiter ſit, idémq; proborum & improborum Judex æquiſſimus, nemini dubium eſſe poteſt, quin, quidquid piè, ſapienter, & ex officio virtutis fuerit geſtum, ampliſſima mercede, non ſolùm in hac vita, verùm etiam in immortali, ac ſempiterna cumulatiſſimè muneretur.

Cedò aliud exemplum Periodi per definitionem diffuſæ. *Reſp.* Sit hæc Periodi materia: *Indocti contemnuntur.* Qui naturæ, aut educationis vitio, in turpi bonarum artium ignoratione verſantur, illi apud omnes ita contempti, vulgò jacent, ùt ſi nunquam nati forent: *vel*, ut aditum ad famam, honorémque invenire nullum poſſint. *Cur Rhetoricæ ſtudium negligis?* Siquidem arte benè, ornatèq; dicendi, non ſolùm belluis, ſed hominibûs homines longè præſtant: cur cæteras artes tibi colendas, hanc negligendam arbitraris? Quid

Quid cavendum in hac amplificandæ Periodi ratione? *Resp.* Ne multa synonima idem significantia congerantur, v. g. Si vocem, *remuneretur*, in primo exemplo positam amplifices tribus istîs modîs, coronet, remuneretur, cumulet. Aut vocem, *indocti*, quæ jacet in secundo exemplo, exponas, nulla literarum cognitione præditi, nulla ornati laude scientiarum, nullo eruditionis splendore decorati. Nam istæ phrases, præterquam quòd ornatissimæ non sunt, idem ferè omnes sonant. Id vitium pueris familiare est.

Quænam sunt aliæ rationes dilatandæ Periodi? *Resp.* Peti possunt ab omnibus ferme locis oratoriis: Enumeratione partium, Adjunctis, Causis, Effectis, Similitudine, Comparatione, Antecedentibus, & Consequentibus.

Da exemplum Periodi, amplificatæ per enumerationem partium. *Resp.* Sit hæc propositio amplificanda. *Nihil est Urbe Româ pulchriùs.* Quisquis Romam, principem urbium, spectat, illam palatio-

tiorum multitudinem, & magnificentiam, illam sacrarum ædium dignitatem, & amplitudinem, tot signa in ære, ac marmore spirantia, tot eruditæ, ac superbæ vetustatis illustria monumenta, Romam denique veterem, è suis veluti cineribus redivivam; hæc, inquam, omnia qui contemplatur, ita defixus admiratione stupet, ut nihil pulchrius Româ fieri posse fateatur.

Christianus bene de omnibus mereri studet. Qui vitam ad Evangelii leges, & effata Christi componit, non de illis solùm, quos amicitiâ, aut cognatione conjunctos habet, verùm etiam de inimicis, de ignotis, & alienis bene mereri studet.

Plura exempla caput tertium subministrabit, quæ rationem conficiendæ amplificationis, velut primis tibi lineamentis, adumbrabunt. Sed antè ea pauca præmittam de modo nectendi membra periodicâ.

Quònam pactò periodi partes inter se jungendæ sunt? *Resp.* Id fit ope quarumdam particularum, quarum prior

necessariò inferunt posteriores. Priores serviunt primis membris periodi, &c, ùt Rhetores loquuntur; ejus *Protasim* continent. Posteriores ultimam Periodi partem, quæ *Apodosis* dicitur, comprehendunt.

Exemplo sit hæc periodus bimembris, Quemadmodum ægroti ciborum suavitatem non sentiunt (*en Protasis*:) sic improbi, virtutis gustum nullum habent (*en Apodosis.*) Est autem diligenter notandum, sententiam, sive materiam periodi non in protasi sed in ejus apodosi vulgò contineri, ut patet in allata periodo, cujus hæc propositio est, sive materia; *Improbis virtus non sapit.* In protasi continetur, quod excogitatum ad amplificandam periodum; hoc est ad probandam, ornandamve ejus sententiam.

Cedò aliquas ejusmodi particulas, seu vincula nectendis aptè membris. *Resp.* Innumera legendo deprèhendes. Tales sunt. Quemadmodum-- Sic. Si--- Profectò. Quantùm -- Tantùm. Cùm - tunc.

tunc. Tum---cùm. Qualis---talis. Quamvis---tamen. Ut---ita. Unde---inde. Quò---eò. Non minùs---quàm. Et---&c.

ARTICULUS III.

Exempla Periodorum.

Mores puerorum educatione formantur. Ut argillam artifex sic pueros magister sapiens format. Cujusmodi est hæc periodus & quomodo amplificata? *Resp.* Est *monocolos*, sive unius membri: Nam illi convenit allata capite primo definitio periodi; & ejus protasis membrum dici non potest; quia caret justâ membri periodici magnitudine. Est igitur *incisum*, quod cum sequenti apodosi junctum, unius membri legitimam mensuram conficit. Amplificátur autem à similitudine, ùt patet.

Exemplum periodi monocoli alterum hoc esto. Tam est eruditus Cicero, quàm eloquens. Item: tam studiosus literarum est hic adolescens, quàm virtutis.

Otium est omnium malorum origo Quem-

admodum labor bonorum omnium, & virtutum parens quodammodo dici potest: sic ab otio mala omnia, & vitia proficiscuntur. *Bimembris* est à contrario.

Eadem trimembris, ab effectis. Si causam quæras, cur adolescentes rerum utilium ignorantiâ laborent, cur viri ambitione, iracundiâ, cæterisque cupiditatibus ferantur in vitia præcipites, certissimam tot malorum originem in otio reperies.

Quadratam periodum habes initio Tullianæ orationis de provinciis consularibus. Dicitur quadrata periodus ea, cujus membra quatuor sunt, eaque ejusdem ferè magnitudinis, adeò, ut quadrum efficere videantur. *Si quis vestrûm exspectat, quas sim provincias decreturus; consideret ipse secum, qui mihi homines è provinciis detrahendi sint: non dubitabit, quid me sentire conveniat, cùm quid mihi sentire necessè sit, cogitârit.* Vides membra ferè omnia æqualia, & in quadrum veluti redacta.

Rotundam Tullius idem dabit initio

orationis pro Cæcina. Est autem rotunda periodus; cujus primò quatuor membra sunt: deinde verô sic inter se apta; & sibi invicem respondentia, ut posteriora membra priori locô possint collocari, manente eôdem sensu, & lepore orationis. *Si, quantùm in agro, locisque desertis audacia potest, tantùm in foro, atq. judiciis impudentia valeret; non minùs in causa cederet Aulus Cæcina Sexti Æbutii impudentiæ, quàm cùm in vi facienda cessit audaciæ.*

Hujus periodi si membra postrema colloces initio, & dicas: Non minùs in causa cederet Aulus Cæcina Sexti Æbutii impudentiæ, quàm cum in vi facienda cessit audaciæ; si quantùm in agro, &c. eadem sententia manebit: quemadmodum in circulo rotundo, si partem imam summô, & summam infimô locô posueris, eadem semper manebit figura. Quidam non distingvunt quadratam periodum à rotunda.

Rotundæ periodi exemplum hoc alterum esto. Si tantùm apud te vale-

ret accepti beneficii grata recordatio, quanta fuit in me voluntas benè de te merendi; eandem nunc mihi benevolentiam in adversis meis rebus præstares quam in secundis olim tam prolixè mihi promisisti.

Ponatur hæc sententia: *Peccati magna gravitas est:* fundetur sic in periodum bimembrem. Tanta est in peccato vel levissimo gravitas, tanta fœditas, tanta pestis, ut omnium mortalium salus unico sit mendacio, vel otioso verbo posthabenda.

Placet eandem sententiam tribûs membrîs complecti? adde particulam *Si:* Tantùm est in peccato vel minimo gravitatis, tantùm exitii, ut, si mundi totius conservatio, & mortalium salus omnium ageretur, vel minimum admittere nefas esset. Addo quadrimembrem.

Tantum est in peccato quolibet, vel gravitatîs ad pœnam, vel ad ignominiam fœditatis, ut, quamvis mortales omnes donandi cœlô, vel inferîs eximendi

forent,

forent, nefas tamen esset, non modò gravioris aliquid flagitii committere; sed vel levissimô quidem mendaciô Divinum Numen offendere.

Fac bimembrem ex isto Psalmi versiculo: *Initium Sapientiæ, timor Domini.*

Qui præclarum sapientis nomen ambis, illi nihil esse debet antiquius, quàm ut orbis moderatorem, ac Dominum sanctè revereatur, & timeat. Da trimembrem ex illo Sapientis effato: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum* Quemadmodum trepidè refugeres, si angvem oculîs igne suffectîs, & exertâ lingvâ in te irruentem conspiceres: ita non minori contentione ac celeritate, peccati vel umbram fuge.

Cedò trimembrem ex hac sententia; *Nihil facito, cujus pudere te, ac pœnitere debeat.* Si me audis, ita vitæ tuæ rationem instituès, nihil ut unquam dicas, faciasve, cujus te postea meritò pudere, ac pœnitere debeat. Hanc Sapientis vocem, *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis,* funde in quinque, sexve membra.

Si tecum attentè reputaveris imminentem singulis momentis, quolibet in loco, & negotio mortem; si te ad supremi Judicis horrendum tribunal obita morte statim rapiendum cogitaveris, si parata improbis in tartaro supplicia, nullîs unquam finienda sæculis; si constituta probis in cœlesti regno præmia, sæpè, ac diligenter inspexeris: mihi crede, nunquam fiet, ut vel blandimentîs voluptatum pelliciaris ad scelus, vel objectô cujuscumque calamitatis ac periculi metû, à recta virtutis via traharis.

CAPUT III.

De Figuris.

QUid sunt in oratione Figuræ? *Resp.* Quod in horto flores, in cœlo stellæ, in collo torques, in digito annuli aurei, & in annulis gemmæ: figurîs enim oratio, quasi quibûsdam flosculîs, distincta nitet, & tanquam stellîs conspersa lucet, & ceu gemmis radiata, micat. Hinc orationis dignitas, robur & propria quædam elocutionis oratoriæ majestas efflorescit. Quid

Quid est Figura? *Resp.* Est conformatio quædam sermonis elegantior, remota à communi modo, & loquendi consvetudine. Itaque quod præter communem usum loquendi ornatiùs dixeris, id cum figura dictum putabitur.

Quotuplicis sunt generis? *Resp.* Duplicis: aliæ dicuntur Figuræ *verborum*; aliæ *sententiarum*, quæ à Græcis dicuntur *Schemata.*

Quænam vocantur Figuræ *verborum*? *Resp.* Eæ, quæ in verbis tantùm habent dignitatem, id est, quæ positæ sunt in sola conformatione verborum, quâ immutatâ Figuræ pereunt: v. g. Quid me exspectas? quid meam fidem imploras? Figura est, quæ dicitur *Repetitio.* Quòd si ita immutem verba: Quid me expectas? Cur meam fidem imploras? tunc non erit Figura eadem; quia non erit repetitio illius particulæ, *Quid.*

Quænam dicuntur Figuræ *sententiarum*? *Resp.* Quæ non in verbis tantùm, sed in rebus ipsis quandam dignitatem habent; hoc est: quæ ita positæ sunt in sen-

sensu, ac sententia, ut, quibûscumque verbîs proferantur, eadem semper Figuræ vis, ac majestas servetur.

ARTICULUS I.

De Figuris Verborum.

FIguræ verborum duplicis sunt generis. Aliæ enim sunt in verbis à propria significatione translatis ad alienam significationem; & *Tropi* dicuntur, à Græca voce significante, *transfero, muto*. Aliæ sunt in verbis, nativam, & propriam significationem retinentibus, sed certô modô collocatis.

§. I.

DE TROPIS.

QUid est Tropus? *Resp.* Est aliqua dictio, quæ à propria significatione transfertur ad alienam, & non propriā. Sive, ùt loquitur Cicero, *verbum mutatum, & inflexum*: ùt Quintilianus, *arcessitum*, Porrò verbum à propria significatione transfertur ad alienam, vel propter utriusque similitudinem quandam, & proportionem, estque *Metaphora*: vel propter oppositionem, ac dissimilitudinem,

nem, estque *Ironia*, quam nonnulli annumerant figuris sententiarum, at minùs rectè: vel propter essentialem conjunctionem, ita; ut una sit de alterius essentia, & compositione, estque *Synecdoche*: vel demum propter conjunctionem minùs strictam, & *Metonymia* vocatur. Itaque istos tantùm quatuor tropos numerant, qui rem accuratiùs definiunt. Alii tropos quosdam fieri volunt in uno verbo, quosdam in pluribus verbis.

Quot sunt Tropi in uno verbo? *Resp.* Septem: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopœia, Catachresis, Metalepsis.

Metaphora est translatio verbi ab uno, cui proprium est, ad aliud, cui non est proprium: ut, homo ardens irâ. Nam *ardens* propriè igni convenit, & transfertur ad hominem, cui non est proprium: neque enim propriè homo ardet, sed ignis.

Synecdoche fit 1. Cùm pars pro toto ponitur: ut puppis pro navi. 2. Cùm

totum

totum pro parte: ùt fons pro aqua. 3. Cùm sumitur materia pro ipsa re, quæ ex illa fit: ùt ferrum pro ense. 4. Cùm antecedentia pro consequentibus usurpantur: ùt, boves ab agricolis domum reducuntur, pro. *Nox adventat.*

Metonymia, seu transnominatio, fit: cùm pro effectu causa, aut contrà pro causa effectus ponitur: ùt cùm Cererem pro pane, Bacchum pro vino dicimus, quia Ceres frumenti, & Bacchus vini, inventores fuerunt.

Antonomasia, seu pronominatio est, cùm aliquid pro vero rei significatæ nomine sumitur: ùt, Eversor Carthaginis, pro Scipione, qui evertit Carthaginem.

Onomatopæia, seu fictio vocis est, cùm vox producitur, similitudinem habens cum ipsa re significata: ùt mugîtus pro sono, quem boves edunt.

Catachresis, seu abusio fit, cùm abutimur nomine alicujus rei ad aliam significandam, cui conjuncta, & quasi vicina est; ùt, cùm appellatur parricida

is, qui

is, qui matrem interfecit, pro propriè: matricida dicendus esset.

Metalepsis fit, cum dictio aliquid diversum à propria significatione ex iis, quæ antecesserunt indicat: ùt post aliquot mea regna videns mirabor aristas: id est, post aliquot annos: nam ex aristis æstates, ex æstatibus annos intelligimus.

Quot sunt tropi, qui in pluribus verbis versantur? *Resp.* Quatuor: Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole.

Allegoria fit, quando rem aliquam per aliam similem exponimus: ùt, cùm magnas subiisset tempestates, omnium naufragium fecit. Hoc est: cùm magna adiisset pericula, amisit bona omnia.

Periphrasis, seu circumlocutio est, cùm id pluribus verbis explicatur, quod paucioribus dici poterat: ùt, ille, à quo vitam accepisti: id est; tuus pater.

Hyperbaton, seu transgressio est, cùm perturbatur ordo verborum: ùt, qua de re; pro: de qua re; mecum, pro: cum me.

Hyperbole seu superlatio, aut excessus est, cùm sententia aliqua fidem excedit, augendæ rei gratiâ: ùt, nive candidior: anteire cursibus auras.

§. II.

De aliis Figuris Verborum.

IN quo hæ Figuræ à Tropis differunt? *Resp.* Quòd Tropi fieri nequeant, nisi verbîs translatîs; at Figuræ Verborum propriîs verbîs constare possunt: ùt, occidi, occidi hostem patriæ: Figura est; quæ *Repetitio* dicitur: non tamen Tropus est, quia *occidi* verbum proprium est, non translatum.

Quomodo fiunt Figuræ verborum? *Resp.* Tribus modis. 1 Per *additionem*, cùm scilicet verbum verbo additur ùt, veniet, veniet illud tempus. 2. Per *detractionem*, cùm detrahitur aliqua vox, ùt, parentes, propinquos, amicos prodidit. Detrahuntur enim conjunctiones. 3. Per *similitudinem*, cùm variæ voces inter se similes ponuntur: ùt, hoc vestimenti genus fœminas non tam ornat, quàm onerat. Has ternas lustre-

mus

mus figurarum classes, & incipiamus à prima.

Figuræ per additionem.

Repetitio figura est, cùm ab eadem voce periodi membra inchoantur: ùt, quem populus Romanus damnavit, quem Senatus damnavit, quem omnium existimatio damnavit, eum vos sententiis vestrîs absolvetis? *Cic. ad Heren.*

Vix hostem invenerat, jam urgebat; Vix aciem instruxerat, jam vincebat.

Accusant ii, qui fortunas ejus invaserunt, causam dicit ille, cui nihil, præter calamitatem reliquerunt: accusant ii, qui, &c. causam dicit ille, qui, &c.

Conversio est, cùm eôdem verbô finiuntur periodi membra: ùt, illud ex te audire cupio: quare, cùm ego te defenderim, non rogatus defenderim, tu horum omnium immemor me oppugnes.

Doletis, eversa esse templa, illa evertit hæresis: lugetis, sacra majorum monumenta suis spoliata esse ornamentis spoliavit hæresis: Sacerdotes crudelissimè trucidatos, trucidavit hæresis.

Complexio repetitionem complectitur, & conversionem, cùm videlicet oratio eôdem verbô inchoatur, & definit, ùt, quis accusavit? inimicus. Quis testes produxit? inimicus. Quis tulit sententiam? inimicus. Quis irrogavit pœnam? inimicus.

Qui sunt, quos DEUS summè odit? impudici. Qui sunt, quos etiam in hac vita diris suppliciis afficit? impudici.

Vis, o! Christiane, frænare libidinem? ora Vis hostem pudicitiæ frangere? ora. Vis temperantiæ coronam referre? ora.

Conduplicatio est, cùm idem verbum vel initio, vel in decursu orationis geminatur affectûs exprimendi gratiâ: ùt, vivit, & vivit non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. *Cic. 1. Catil. num. 2.*

Bona (me miserum! consumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii fuêre acerbissimæ voci subjecta præconis. *Cic. 2. Philippicâ.*

Nunc etiam audes in horum conspe-

ctum

ctum venire proditor patriæ? proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conſpectum? Commotus non es, cùm tibi mater pedes amplexaretur? non es commotus? *Cic. ad Heren.*

Traductio, quæ alio nomine dicitur Polyptôton, cùm eadem vox diverſîs locîs uſurpatur, caſibûs, aut generibûs paulùm immutatîs: ùt ei ſum infenſus; ejus aſpectum ferre nequeo; illum auribûs oculîſq; reſpuo; illo ſuperſtite vitam tranquillam agere non poſſum.

Gradatio, ſeu climax eſt, cùm ab uno ad aliud fit progreſſio aliqua repetendo eorum, quæ jam dicta ſunt: ùt, mihi diligentia doctrinam, doctrina gloriam, gloria æmulationem, æmulatio ſempiternam laudem comparavit. Sed de gradatione fuſiùs in Figuris ſentētiarum.

Synonymia eſt còácervatio multorum verborum eādem ſignificationem habentium: ùt. illum tandem aliquando furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem Senatui nefariè molientem emiſimus, ejecimus, eliminavimus. Abiit, exceſ-

excessit erupit, evasit. Illum redire non sinam, non feram, non patiar.

An verò vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestræ peregrinantur aures.

Polysyntheton fit, cùm multæ conjunctiones congregantur: ùt, teque, tuique similes, tibiq; charos, & aspernor, & aversor, & execror; nec timeo minas, quas jactas, nec terrent me pericula, quæ denuntias.

Figuræ per detractionem.

Synecdoche figura est in narrationibus usitatissima, fitque, cùm verbum quoddam reticetur, quod facilè intelligitur: ùt, hic tumultuari famuli, lugere ancillæ, mœrere filii, conjux misera lamentari: subauditur, cœpit, vel cœpêre. Plura exempla progymnasma de narratione subministrabit.

Adjunctio est, cùm ad unum verbum sententiæ plures referuntur. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Eâ flagrat cupiditate, ut illum nec pudor

pudor ab infamia, nec pudicitia à flagitii fœditate, nec pietas à ſcelere, nec generis ac familiæ macula à libidinum turpitudine avocare queat.

Nulla libido ab illius corpore, nulla vis à manibus, nullum flagitium à ſceleratiſſimis ejus factis unquam abſuit.

Non illum avaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem. *Cic. pro Lege Manilia num. 40.*

Disjunctio, ſeu diſſolutio eſt, cùm demptis conjunctionibus, multa copulantur: ut, ſtudia literarum adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. *Pro Archia num. 16.*

Figuræ per ſimilitudinem.

Paronomaſia, ſeu annominatio eſt, cùm paululùm immutata verba, atque deflexa in oratione ponuntur: ùt, cùm lectum petis, de letho cogita. *Simi-*

Similiter cadens est, cùm duæ, vel plures sententiæ, seu orationis membra iisdem casibûs efferuntur, ùt, quid tam commune, quàm spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? *Cic. pro Rosc. Amer. num. 72.*

Similiter desinens est, cùm plures sententiæ similî modô finiuntur: ùt, tam felix Imperator est, ut ejus semper voluntatibus non modò cives assenserint, socii obtemperârint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatesque obsecundârint. *Cic. pro Lege Manil. num. 48.*

Isocolon, seu compar, cùm varia in oratione membra constant parî ferme numerô syllabarum: ùt, tam difficile bellum Pompeius extremâ hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, mediâ æstate confecit. *Cic. pro Lege Manil. num. 35.*

Non est difficile viatori per apertam planitiem, nullîs sentibûs interclusam, nullîs fluviorum anfractibûs impeditam, nullîs salebrîs lubricam, sinè prolapsione cursitare: at verò iter celerrimè conficere, durâ constratum glacie, multâ obsi-

tum

tum nive, cautibûs asperum, vepribûs invium, torrentium concursû ruptum, non parvi laboris est opus.

ARTICULUS II.

De Figuris Sententiarum.

HIs Figuris, ùt nihil in Rhetorica præstabilius, si usurpentur eâ quâ par est moderatione, ac prudentiâ: ita nihil ferè putidius, si temerè, ac pueriliter adhibeantur.

Allegoria nihil aliud est, quàm multiplicata, & continuata translatio Tametsi autem in verbis sita sit, in sententiis tamen dignitatem, & locum habere potest ob similitudinis gratiam, quam plerumq; continet & translationis lepôrem. Exempla habet Cicero speciosissima.

Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? dies intermissus unus, aut nox interposita sæpè perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. *Cic. pro Mur. n. 31.*

Neque

Neque tam fui timidus ut, qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reipublicæ navem gubernâssem, salvamque in portu collocâssem, frontis tuæ nubeculam, aut Collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas, aliis tempestatibus non cessi: sed unum me pro omnium salute obtuli. *Cic. in Pison num. 20.*

Antithesis figura est, quâ verba verbis, aut sententiæ sententiis oppositæ referuntur: ut, quis ferre possit inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? *Cic. II. in Catil. num. 10.*

Potestis ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio, & nomini, bonis, ac fidelibus sociis, & civibus anteferre? *Cic pro Fonteio num. 22.*

Ex hac parte pugnat pudor, illinc petulantia: hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus, *II. Cat. 25* Conferte

hanc

hanc pacem cum illo bello; &c. *6 Verr. num 115.*

His exemplis adnectamus unum paulò diffusius, & magis pium. Sit v.g describendus tibi JESUS infans. Transeamus usque Bethlehem cum pastoribus, & videamus, & veneremur JESUM in præsepio, & demiremur in infante virum, Principem in servo, sapientem in puero, Rectorem orbis, juris factum alieni. Demiremur, & adoremus splendorem tenebrîs offusum, potentiam constrictam vinculîs, infinitatem terminîs finitam, immensitatem circumscriptam cunîs, balbutientem sapientiam, sublimitatem cum humilitate, fortitudinem cum infirmitate conjunctam.

Apostrophe fit cùm ab auditoribus quos alloquimur, ad absentem, vel præsentem quempiam, seu vivum, seu mortuum; aut etiam ad res inanimatas sermonem convertimus quas veluti personas quasdam compellamus. His autem ferè modîs, à Tullio per tîs, figuratur Apostrophe.

Vos, Albani tumuli, atque luci, vos, inquam,

inquam, imploro, & obtestor; vosque obrutæ aræ, quas ille substructionum insanis molibûs oppressit: tunc vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit. Tûque, ex tuo edito monte, Latialis Jupiter, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti. *Cic. pro Milone num 26*

O Dii immortales! vos enim hæc audire cupio: impius hic vestra sacra curat? vestrum numen horret? non illudit auctoritati horum omnium? *Cic. pro domo sua, num. 104.*

Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro Republica sangvinem fudistis, vos in viri, & in civis invicti appello periculo, Centuriones, vosque milites, vobis non modò inspectantibûs, sed etiam armatis, huic judicio præsidentibûs hæc tanta victa virtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur? *Cic. pro Milone, num. 102*

Jacet in stabulo Regum Dominus recens natus, recubat nudus media hyeme Virginis filius in spelunca, ventis nivibusque pervia, totóq; contremiscit corpuscu-

pusculo DEUS Infans. Ah venti! si quis vobis sensus inest, si qua pietas, rigorem remittite. Ah, frigidos inhibete status, sævi aquilones! Ah, quæso; alias perflate plagas auræ violentæ! &c.

. Supremæ Majestatis Numen offendi miser, divina mentis æternæ jussa contempsi impudens, sanctissimasque leges per summum sacrilegium violavi. O me scelestum, vesanum, impium! Fundite uberes lacrimas oculi mei, admissorum dolore facinorum, & eluite, si potestis, assiduo & amaro fletu sordes criminum, ad quæ patranda duces, heu! tam sæpè mihi, & antesignani fuistis.

Communicatio est exornatio, quâ, causæ nostræ confidentes, aut ipsos consulimus adversarios, aut cum Judicibus quid faciendum sit quidvè factum oportuerit, deliberamus: ut, nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis: id enim consilii taciti dabitis, quod egomet mihi necessariò capiendum intelligo. *Cic. 2. in Verr. num. 32.*

Tu denique, Labiene, quid faceres

tali in re, ac tempore, cùm ignaviæ ratio te in fugam impelleret Consules ad Patriæ salutem vocarent? quam tandem vocem sequi, cujus imperiô potissimùm velles? *Cic. pro Rabir. num. 22.*

Quæro à vobîs Judices&c. (hic, quæ res agatur explicat, posteáque sic illos consulit.) Quid est, quòd hac tandem in re vobis afferre dubitationem possit? profectò, si rectè vestram bonitatē, atque prudentiam agnovi, non multùm me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri. *Cic. pro Quintio. num 54.*

Concessio figura est, cùm videmur etiam aliquid iniquum adversario concedere.

Non dubitavi, inquit, cùm vadimonium desertum esset, bona proscribere improbe: verùm, quoniam illud tibi arrogas, & concedi postulas, concedamus *Cic. pro Quint. num. 56.*

Estò causam proferre non potes, tamen si statim vicisse debeo; tamen de meo jure decedam & tibi, quod in alia causa non concederem; in hac tibi concedam fretus hujus innocentiâ. *pro Rosc Amer* 73.

Esto,

Esto, eripe hæreditatem propinquis, prædare in bonis alienis, everte leges, &c. Num etiam amicum bonis oportuit? Est hoc tuum, & improbitatis, & imprudentiæ tuæ, hoc tibi do, & concedo Scio te. &c. *V. in Verrm,*

Correctio est, quæ verbum, aut sententiam retractat, & corrigit, ut aliquid aliud subjiciatur, quod magis proposito conducat.

Atque hæc, cives, cives inquam, si hoc nomine eos appellari fas est, qui hæc de patria sua cogitant. *Pro Mur.* 8.

O stultitiam! stultitiámne dicam, an impudentiam singularem? *V. in Verr.*

Quæ fuit igitur in homine constantia? Constantiam dico; nescio, an melius patientiam possem dicere?

Cui homini bono benedixit unquam? benedixit; imò, quem fortem, & bonum civem non petulantissimè est insectatus? *Pro Sext.* 120.

In exercitu comparando patrimoniũ suum effudit; quanquam non sumus usi eô verbô, quô decuit; non enim effudit,

ſed in ſalute Reipublicæ collocavit. III. Phil.

Quæ convivia fieri putatis in hujuſmodi domo? ſi domus hæc habenda eſt potiùs, quàm officina nequitiæ, & diverſorium flagitiorum omnium.

Deprecatio figura eſt, quâ opem alicujus DEI, aut hominis, imploramus: ùt, hôc nos primùm metû, Cæſar, per fidem & conſtantiam, & clementiam tuam libera. ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexrram te iſtā oro quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti, porrexiſti, iſtam, inquam, dextram non tam in bellis, & præliis quàm in promiſſis, & fide firmiorem. *Pro Dejot.*

Unum reſtabat illud, quod forſitan non nemo vir fortis dixerit: reſtitiſſes. repugnâſſes, mortem pugnans oppetîſſes. De quo te, te, inquam, Patria, obteſtor, & vos Penates, patriique Dii, me veſtrarum ſedium, templorumque causâ, me propter ſalutem meorum civium, quæ mihi ſemper fuit meâ charior vitâ, dimicationem, cædemque fugiſſe. *Pro Sext. 45.*

Diſtri-

Distributio, seu Partitio est. cùm rem fusiùs explicamus, & in suas partes distribuimus.

Lectissimum hunc adolescentem non ingenita huic ætati levitas à consilio vitæ melioris revocavit; non improborum sodalium blanditiæ ad voluptates; non locorum, in quibus degit, amœnitas ad delectationem; non majorum nobilitas ad ambitionem; non egregiæ dotes ad arrogantiam; non aliorum procacitas ad libidinem; non amicorum convictus ad oblectationes intempestivas; non deniq; summa rerum omnium affluentia ad aliquod probrum infamiámq; pellexit.

Eminet in hoc homine altitudo animi in condonandis offensis, in communicandis opibus liberalitas, in capessendis rebus arduis magnitudo menti, in viis negotiorum pervestigandis mira sagacitas, in gerendis acre consilium, in persequendis summas inter difficultates constantia: Nihilque est, quod non altò quôdam aggrediatur animô. aut cautissimîs consiliis administret, aut strenuo

labore perficiat: vir planè inperterritus, periculis infractus malis invictus adversis, ad labores impiger, ad pericula fortis, ad causam, fortunamque felix.

Dubitatio est, cùm hæremus, & ambigimus, quid dicendum, agendumve sit: ut, quo te nomine appellemus? Improbum? leve est pro tanto scelere. Fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi; & præclarum putas. Audacem, impudicum, perfidiosum? vulgaria, & obsoleta hæc sunt; res autem nova, & inaudita. *Pro Quint.* 65.

Quid primum querar, aut unde potissimùm exordiar, aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorum immortaliũ, Populine Romani, vestramne qui summam potestatem habetis hoc tempore, fidem implorem? *Pro Rosc Amer.* 29.

Equidem, quod ad me attinet, quò me vertam, nescio. Negem, hoc admissum fuisse crimen? negem, testes auditos esse in Senatu? non est nostri ingenii, vestræ clementiæ est, calamitoso, & innocenti subvenire. *Pro Cluent.* 4.

Apud

Apud vos quemadmodũ loquar, nec mihi consilium, nec oratio suppeditat: quos, nec quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui à Patria vestra descivistis. An milites? qui Imperiũ, auspiciúmque abnuistis. Hostes? ora, vestitum, habitumcivium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. *Liv. Dec. III. 8.*

Illustrem habet dubitationis ideam Uirgilius, Didonem ab Ænea derelictam in deliberatione suspensam ac dubiam sic inducens:

En quid agam? rursusne procos irrisa priores Experiar? &c. Lib. IV. Æn.

Exclamatio est orationis elatio. quæ motum animi vehementiorem in re gravi exprimit, interjectione adhibitâ, nonnunquam verò suppressâ: ùt, cùm dicitur: Superi! Miserum me! O præclarum facinus! Mirum dictu! Ejus usus est ad laudem, ad vituperium, ac commiserationem.

Expolitio oratio est, quî commutatîs verbis, congestîsque prudenter figurîs

 eadem

eadem sententia variè versatur, & effertur, quô gratior, clariorque subjiciatur velut oculis, ac magìs, magìsque ornetur.

O! vita hominum fluxa, fugax, & in mortem præceps! nisi fluxam litteræ figerent, fugacem retinerent, sustinerent præcipitem; extingveretur, heu! fama nostra simul cum corpore, & eôdem simul cum cineribus tumulô præclarè factorum recordatio conderetur, si abessent litteræ: nisi, &c.

Gradatio, seu argumentum non tantùm figura verborum est, sed etiam sententiarum, in qua sequens oratio semper addit aliquid ad præcedentem: ùt, miserum est, exturbari fortunîs omnibûs: miserius est, injuriâ: acerbum est, ab aliquo circumveniri: acerbius est. à propinquo; calamitosum est, bonis everti; calamitosius, cum dedecore, &c. *Pro Quint.* 95.

Facinus est, vinciri civem Romanum; scelus verberare; propè parricidium necare, quid dicam, in crucem tollere. 7 *Verr.*

Hypo-

Hypotyposis figura est, quâ res quæpiam sic verbis exprimitur, ut non tam audiri, vel legi, quàm geri, & oculis usurpari videatur. Differt autem Hypotyposis ab Ethopœia, quòd hæc tota sit in exprimendis animi affectibus; illa verò corpus delineet potiùs, quàm mentem: ùt: hæc postquam acta sunt, procedit iste; inflammatus scelere, ac furore, in forum venit: navarchos vocari jubet qui nihil metuerent, suspicarentur nihil; statim accurrunt: Iste hominibus miseris, innocentibusq; injici catenas imperat: implorare illi fidem populi Romani. & quare id faceret, rogare &c. 7. *Verr.n.*105.

Hæc cùm maximè loqueretur, sex lictores circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos, verberandósque homines exercitatissimi; cædunt acerrimè virgis: Eorum unus, conversô bacillô oculos misero tundere vehementissimè cœpit. Itaque ille, cùm sangvis, os, oculosq; complêsset, concidit. 7. *Verr.*

Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vinô madebant pa-

ficetes, scorta inter matres familias versabantur, &c. II. Philipp.

Videor mihi hanc urbem videre, arcem omnium gentium, subitô incendiô concidentem: cerno animô sepultam patriam, miseros, atque insepultos acervos civium: versatur mihi ante oculos Cethegi furor in vestra cœde bacchantis. IV. Catil. num. 11.

Imprecatio est execratio quædam, quâ malè alicui precamur: ùt, quin tu abis in malam rem, malúmque cruciatum. Dii te perdant fugitive! ita non modò nequam, & improbus, sed fatuus, & amens es. Pro Dejot. 21.

Interpretatio figura est, quâ dictum, aut factū alicujus juxta sententiam, & mentem nostram interpretamur.

Cicero Philippicâ II. initio causas quærit, cur Antonius in ipsum declamaverit. Quid putem? contemptùmne me, &c.

Hoc mihi visus es dicere, Diogenes (*ait Seneca de tranquillitate animi cap. 9*) Age tuū negotium, fortuna; nihil apud Diogenem: nam tuum est, &c. Idem

Idem *cap.* 14. post narratum Canii factum: Quid censuerit, dubito; multa enim occurrunt mihi: Contumeliosus esse fortè voluit, & ostendere, &c.

Interrogatio figura est, quæ adhibetur, non tam quærendi, quàm instandi, & urgendi causâ, ad varios animi motus ciendos opportuna, & usitatissima; cùm nulla figura sit, quæ per interrogationem non possit exprimi. Selectiora hæc apud Tullium exempla sunt.

Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat tuorũ armorum? quæ tua mens, oculi, manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? *Pro Ligario,* 19.

Quid ego illorum dierum epulas? quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperantissimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus sobrium? quis agentem aliquid, quod esset liberô dignum? quis denique in publico vidit? *In Pisonem.* 84.

Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore?

pore? quo præsente? quis spopondisse me dixit? *Pro Q. Rosc.* 47.

Piratam vivum tenuisti, quem ad finem? quam ob rem? quam ob causam? quô exemplô? cur tamdiu? etiámne privatus? etiámne reus? etiam penè damnatus: *In Verrem.*

Ex quibus intelligis. hujusmodi mînutîs, crebrîsque oratiunculis urgeri vehementiùs adversarium, & quasi densa telorum grandine obrui.

Ironia. est, cùm aliud planè dicimus, quam verba significare videantur. Ita Tullius de Verre homine crudelissimo, cùm virum honestissimum, innocentissimúmque tempestate perfrigida in medio foro nudum religari jussisset, virgîs cædendum, ùt omnes quidem, qui aderant huic spectaculo, existimabant. Sic, inquam, Tullius jocatur de Verre. Fallit hæc hominis opinio; virgis iste cæderet sinè causa socium Populi Romani, atque amicum? Non usque eò est improbus, non omnia in eo uno sunt vitia, nunquam fuit crudelis, leniter hominem

nem, clementerque accipit, &c. *VI. Verr.* 68.

Sed stulti sumus, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos cum P. Clodio conferre audeamus: tolerabilia fuerunt illa, P. Clodii mortem æquô animô ferre non potest. Luget Senatus, mœret equester ordo, tota Civitas confecta seniô est, squallent municipia, afflictantur coloniæ, ægri denique ipsi tam beneficum, tam singularem, tam mansvetum civem desiderant. Hæc de hominis sceleratissimi morte idem Tullius. *Pro Milone n. 20.*

Laus Ironica.

Adesdum, mortalium humanissime Luthere; ades, inquam, Reipublicæ Christianæ illustre decus, magnum virtutis specimen, absolutum moderationis exemplar. Quis enim te religiosior fuit unquam, aut esse potuit, vel tùm maximè, cùm, desertô cœnobiô homines innumerabiles à severa vitæ ratione ad hilaritatem, ad compotationes, ad epulas, ad rerum omnium licentiam traducebas oratione, & exemplô? Quis comior, commodi-

modióque, cùm sanctissimos homines proscindebas maledictis? Quis modestior, vel dum verbis magnificis te omnibus anteponebas? O virum sanctum! o! pium, ac pudicum hominem! o! Religiosissimum Sacerdotem! omnium mortalium sceleratissime audes his flagitiis, his libidinibus hac turpitudine, & audacia, te Catholicæ Religionis dicere vindicem? &c. Non te pudet, &c.

Præterire non possum Ironiam illam mirabilem, quam habet Tullius in Pisonem. *Negaverat* Piso, quô ignaviam suam, pudoremque tegeret, cùm cæterorum morem Imperatorum non obtinuisset honorem Triumphi, negaverat, inquam, se Triumphi cupidum unquam fuisse, contemnere se honorem illum dixerat. Quam ejus vocem reprehendens Cicero, illum jactat, exagitatque prolixâ, & illustrî Ironiâ. quam imitari sic poteris in religiosæ vitæ contẽptores.

Audiamus callidos istos ex Epicuri, au. Lutheri schola Philosophos, Religiosæ vitæ institutum explodentes. Ajunt, vile hoc

hoc esse vitæ genus, & naturæ ipsi repugnans, quod hominem, naturâ liberum, & sui juris, arbitrio mancipet alieno, perpetuoque velut adstrictum carceri, non omni solùm voluptate privet, sed etiam inerti labore conficiat, ac vigiliis, jejuniisq; frangat, irrogatis, atque etiam susceptis sponte pœnis crudelissimè torqueat. O! gravem, argutámq; Philosophiã! Quàm doleo, præclari Doctores, quòd tam subtilem maturiùs non exprompseritis sapientiam, priusquàm innumerabiles viri, fœminæq; omnium conditionum, & ætatum contemptissimam istam vivendi conditionem amplecterentur. Neque enim integrum est, magnis Ecclesiæ Doctoribus, Basilio, Gregorio, Hieronymo, Chrysostomo, & Augustino, consiliis jam uti vestris. Errârunt illi, non gustârant hanc vestram Philosophiam: hanc enim imprudentes, & inconsultissimi homines, austerioris ignobilisque vitæ rationem tenuerunt. Bruno, Parisiensis Academiæ lumen, pudet me tui; quid est, quòd, relicto celeber-

rimæ

rimæ urbis ſplendore, confectiſque ſtudiis præruptarum, inviarúmque rupium horrendas ſolitudines petiiſti? Antoni, Benedicte, Dominice, cur hos non audiſtis tam doctos homines, tam eruditos, priuſquam in iſtum errorem induceremini? O! ſtulti Epiphani, Damaſceni, Hilariones, Cœleſtini, & Eucherii! O! amentem Franciſcum! o! nullius conſilii Albertum, Thomam, Bonaventuram! qui aſpernati voluptatum illecebras, & perniciosa rerum fluxarum blandimenta, ad religioſa clauſtra convolârunt. Sed, quoniam præterita mutare non poſſumus, quid ceſſent egregii Philoſophi hæc præclara præcepta dare adoleſcentibus innumeris, qui de hoc ineundo ſeverioris vitæ genere cogitant, ardent cupiditate incredibili, Chriſti ſvave jugum ſubeundi? Ergo agite, illos adite, meditamini, quibus verbis incenſam illorum cupiditatem comprimatis, atque reſtingvatis. Valebitis apud incautos adoleſcentes, viri prudentiſſimi, apud ignaros experti, ac periti; dicetis enim, ut eſtis homines

ad per-

ad persvadendum perfecti; quid est, adolescentes lectissimi, quòd vos horrida hæc vitæ ratio tantoperè delectet? quid habet iste religiosæ vitæ status, quod vos alliciat? quid hispidus, & obsoletus habitus? quid solitudo, ac silentium? quid castitas corporis, frequens jejunium? &c. Hàc vos oratione, non dubito, quin illos in cœnobia jam pedes inferentes possitis revocare, & ad paternas domos abducere. O! temeritatem, incredibilēque dementiam! Lotharius Imperator, abdicatîs supremæ dignitatis insignibûs, ad humilem hanc, ùt vocatis, vitæ conditionem se abjecit captans ab honoris contemptu gloriam, & ab obscuritate loci verum splendorem nominis. Carolomanus, Carolo Martello progenitus, Austrasiæ Rex; rerum gestarum gloriâ clarus, eandem vitæ viam capessivit. Eandem Veremundus Castellæ, Ramirus Aragoniæ. Sigibertus, Chenredus, Inas, Etelredus, Angliæ Reges. Eandem augustissimæ Reginæ Theodora, Elisabetha, Radegundes; Batilda, aliæque Principes

fœmi-

fœminæ inierunt: vos oculatissimi rerum æstimatores, sapientiores, quàm Lotharii; prudentiores, quàm Pipini; generosiores, quàm Carolomani; abundantiores consiliô, eruditione, ingeniô & prudentiâ, quàm Augustini, quàm Gregorii, quàm Basilii, quàm alii omnes, qui impleverunt orbem terrarum virtutum meritis, & doctrinæ gloriâ; ea contemnitis, quæ illi Christianæ Religionis herôés præclara duxerunt.

Licentia Figura est, quâ utitur orator, cùm ea, quæ gravia dictû sunt, aut periculosa, magna libertate dicturum se profitetur: ùt:

Attende jam, Torquate, quàm ego non defugiam auctoritatem Consulatûs mei; maxima voce, ut omnes exaudire possint. dico, semperquè dicam. Adestote omnes animîs, qui adestis corporibûs: erigite mentes, auresq; vestras, & me de invidiosis rebus, ùt ille putat, dicentem attendite. Ego Consul &c. *Pro Syl. n.* 33.

Vos, Patres Conscripti (grave dictû est, sed dicendum tamen) vos, inquã, Sulp-

tium

tium vitâ privâtis, &c. *X. Phil. num.* 8.

Postremò (erumpat enim aliquando, vera, & me digna vox) si ad eorum voluntatem dicta, factáq; nostra referuntur, optanda mors est, &c. *Phil. X, n.* 19.

• *Præteritio* fit, cùm profitemur nos præterire, aut nescire, aut nolle dicere, quod tamen maximè dicimus.

Sed jam stupra, & flagitia omittam: sunt quædam, quæ honestè non possum dicere; tu autem eò liberior, quod ea in te admisisti, quæ à verecundo inimico audire non potes. *II. Phil.* 74.

Nihil à me de pueritiæ suæ flagitiis audiet, nihil ex illa impura adolescentia sua; omnia præteribo, quæ mihi dictû turpia videbuntur: neque solùm, quid istum audire, sed etiam, quid me deceat dicere, considerabo. 3. *Verr.* 32.

Nihil de illius intemperantia loquar, nihil de insolentia, nihil de singulari nequitia, ac turpitudine; tantùm de quæstu, & lucro dicam 6. *Verr.* 106.

Mitto nefarias nuptias, mitto expulsam matrimoniô filiam: nihil de ejus cupiditate queror. *Pro Cluentio,* 188, O-

Omnia vetera prætermittam, unum illud illustre, notumq; omnibus subjiciam.

Possem multa dicere de liberalitate, de ejus abstinentia, de cæteris virtutibus sed mihi ante oculos obversatur Reip. dignitas, quæ me ad sese rapit, hæc minora relinquere hortatur. *Pro Sext.* 7.

Occupatio Figura est, per quam ea quæ ab adversariis. aut ab ipsis auditoribus objici possent, prævertimus, ultróque rationem facti cujuspiam, dictivè reddimus

Quæret quispiam, cur responderit non interrogatus? Quid igitur? debuitne suô silentiô fateri confictum crimen?

At enim, quæ causa fuit, cur id temporis domi remaneret? Remansit: quia comparari sibi illo die insidias noverat.

At etiam sunt, qui dicant cedendum esse tempori, præferendam quandoq; esse virtuti vitam. Quis amens hoc dixit unquam? Quis adeò rationis expers hoc asserere audeat.

Intelligo quid opponi possit: severiùs non esse agendum cum adolescentibus, ætati indulgendum: itáne verò, si, ad-

si, admissis velut habenis, feratur in omne nefas adolescētia, indulgendum est?

Video, quid dicturus sis: coactus inquies, hoc crimen patravi: quis cōegit? Quis afferre vim potuit voluntati tuæ? Atque etiam jactare audebis, liberalitatem in illo esse summam. O! DEUS immortaliis! Hoccine liberalem esse, collectum per multos annos patrimoniũ uno die in lustris, ac popinis profundere?

Sed audiamus Tullium, hac exornatione depellentem, quod ab Judicibus objici poterat ipso statim orationis exordiô: (nam in exordiis maximè hujusmodi figura locum habet, ac præsertim in causis Judicialibus, ad evellendas ex animis Judicum suspiciones, quæ reo nocere possent, ut, remoto obice, liberiùs in causam ingrediatur.)

Credo ego vos Judices, mirari: quid sit, quòd cùm tot summi oratores, hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimùm surrexerim, is, qui neque ætate, neque ingeniô, neque auctoritate sum cum iis, qui sedeant, comparandus. Deinde

inde causam affert, cur ad dicendum accesserit, reliquo exordio.

Eôdem ferè modô suam Divinationem in Verrem auspicatur, dum instituti sui causam redditurus, cur præter morem & contrà, quàm viri gravis officium postulare videbatur, se ad accusandum contulerit, sic ait.

Si quis vestrûm, aut eorum, qui adsunt, fortè miràtur, me, qui tot annos in causis, judiciisq; publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, læserim neminem, subitò nunc, mutata voluntate, ad accusandum descendisse: is, si mei consilii causam, rationemque cognoverit, una & id, quod facio, probabit, & in hac causa profectò neminem præponendum esse mihi actorem, putabit. *Tum rationes subjicit, quæ illum ad id impulêre.*

Idem Cœlium defendens, sic amolitur, quod sibi objicit. *num.* 39.

Dicet aliquis, hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit, & tradidit, ut in amore

& vo-

& voluptatibus adolescentiam suam collocaret. & hanc tu vitam, & studia defenderes? *Tum deinde respondet sibi. multa de indulgentia, disputans, quæ adolescentibus concedi potest.*

Sed longè præclariùs in Verrem agens, occupat, infirmatque ea, quæ respondere poterat Hortensius Verris Patronus.

Quid agam? *inquit*, quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen Imperatoris opponitur. Novi locum, video, ubi se jactaturus sit Hortensius; belli pericula, tempora Reipubl, Imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur à vobis, ne patiamini talem Imperatorem populo Romano, Siculorum testimoniis eripi, neve obteri laudem Imperatoriam criminibûs avaritiæ velitis. *VII. Verr. n. 2.*

Prosopopœia est oratio, in qua rebus mortuis, aut sensûs expertibus, sermonem accomodamus: aut absentes tanquam

quam præſentes; vità functos, tanquam ſpirantes, ac loquentes, inducimus.

Exiſtat ex ipſa familia aliquis ac potiſſimùm cæcus ille; qui profectò, ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur. Mulier, quid tibi cum hoc adoleſcente? &c. *Pro Cal.* 23.

Exiſtat ergo ille vir parumper cogitatione veſtra. quoniam re non poteſt: ut conſpiciatis eum mentibûs quem oculîs non poteſtìs. An non ita loquetur? *Pro Balb.* 45.

Qui populus, ſi tecum congrediatur, & una voce, ſi loqui poſſit, hæc dicat: Ego tibi illum non antepoſui, &c. *Pro Planc.* 12.

Etenim, ſi mecum Patria, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur: Marce Tulli, quid agis? Tu enim exire patieris? &c. 1. *Cat.* 27,

Patria tua tecum, Catilina, ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. Nullum Jam tot annos facinus, niſi per te, &c. *Ibid.*

Quòd ſi nunc ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, nonne hac utere-

utetetur oratione? Ego Reges ejeci; vos Tyrannos introducitis. Ego, &c. *Phil.* 7.

Prosopopœia anni proximi elapsi.

Revocemus lapsum retrò tempus, & tanquam è communi rerum caducarum sepulchro excitemus annum quem proximè vidimus exspirâsse; an non istîs verbîs nos objurgaret, si loqui posset? Amentes, inconsulti mortales, siccine momenta temporis quô nihil pretiosius est, effluere passi estis? Sic horas, sic dies, & menses ignavè stolidéquè collocâstis? O! stultitiam incredibilem! Annus ego; qui nuper abii, quem nuper obîstis tam negligenter, concessus vobis singularî DEI beneficiô fueram, ut ope meâ exiguîs mortalis hujus vitæ laboribûs immortalem gloriæ fructum pararetis. Nunc autem consumpsistis me, proh pudor! quibus in rebus? dicamne? vix audeo; dicendum tamen: in nugis, heu! in otio. Leviora hæc sunt, me turpissimarum lutô libidinum conspurcâstis, &c.

Reticentia, eadem ferme figura est,

atq; Præteritio, Aposiopesis græcè di-ćta, cùm scilicet post aliquot verba sermo abrumpitur, neque perficitur, quod dici cœptum erat; ùt: Tu istud ausus es dicere, homo omnium mortalium--- quæro: quonam te digno moribûs tuîs appellem nomine?

Huc pertinet illud Virgilianum de Neptuno.

Jam cœlum, terrámque meo sinè Numine venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego---sed motos præstat componere fluctus.

Sermocinatio, seu Dialogismus est ficta personarum collocutio, sive quis solus loquatur, sive plures inducantur simul colloquentes: ùt patet in hoc exemplo.

Mercator locuples, non aurô minùs quàm ætate gravis, filiam habebat nubilem, unicam. Eam cùm nuptui tradidisset adolescenti nobili, pro dote bona sua donavit omnia. Brevi errorem animadvertit: cùm vidit, se contemni indignum in modum à filia ge-

nseró-

neróque, ſic, ut ne aſpectu quidem dignarentur obvium. Nec abjicit tamen omnem ſpem levandæ ægritudinis. Conſilium hoc init callidum. Amico denarrat cauſam doloris ſui, & quid excogitârit, ſimul aperit. Nummos, inquit, in hanc rem mihi commoda ad paucos dies. Sume, ait amicus, ex hac arcula quantum voles. Summam iſte capit non levem, domumque redit plenus ſpei maximæ. Vix ingreſſus cubiculum, generum audit ſuum ſcalas domûs aſcendentem: abdit ſe in conclave ſenex, effundit aureos in menſam & numerare nummos alta voce, clarôque tinnitû incipit. Ad ſonitum accurrit gener, &: Gratulor, ait, mi Pater, tantam adhuc tibi ſupereſſe bene de tuis merendi facultatem. Cùm ſenex: Hanc ſummam à debitore recepi hodie, mutuò daturus ex amicis meis cuipiam. E veſtigio uxorem ille adit, &: o! nos amentes, inquit, nimiúmque credulos! vetulus noſter etiamnum aurô affluit. At illa: Quid ais? aurô affluit? faxo,

ad nos brevì totum refluat. Nec plura: ad Patrem devolat, vultum ad blanditias componit, melleîs verbîs parentem salutat. Ille dolum dolô excipiens, optimè valeo, inquit, ac te advenisse gaudeo id temporis: volo enim testamentum condere, teque scribere hæredem. Beas me, inquit illa, & cur me id celâras, pater, filiam tuam, quæ te hîs oculîs plùs amo? Nimirum, ait senex, non omnia sunt quovis evulganda tempore; Tabellionem arcesse protinus. Arcessitur: facit ille testamentum: summo deinceps honore colitur: moritur demum, sumptuoso effertur funere: apertô testamentô, patet fraus, seque delusos dolent dolosi conjuges.

Subjectio figura est, quâ orator vel interrogat se ipsum, & respondet sibi: vel cùm alium interrogat, non exspectat responsum, sed aliud de suo addit.

Quam affers excusationem absentiæ tuæ? fuisse te morbô impeditum? valebas, ùt cùm optimè: Negotiîs distentum? at ludendo contrivisti diem totum. Quare

Quare venenum dare vellet? ne aurum redderet? nùm quis petivit? ne crimen hæreret? num quis objecit. *Pro Cal.*

Tu meam domum religiosam facere potuisti: ecqua mente? quâ invaseras: quâ manu? quâ disturbâras: quâ voce? quâ incendi jusseras: quâ lege? quam non scripseras &c. *De Harusp. 33.*

Non appellabitur hostis Reipublicæ, qui leges violârit? tu rescidisti: qui Senatûs authoritatem contempserit? tu eam oppressisti: qui seditiones foverit? tu excitâsti.

Quanta est, Deus immortalis, humanæ mentis pernicitas! quàm celeres ingenii motus! Vis, pervadat terras, ac maria? jam pervasit. Jubes in cœlum evolet? jam evolavit. Cupis detinere? non potes. Quos enim obices objicies? pone terræ molem, penetrabit. Oppone Oceanum; transiliet. Mundum ipsum universum objice, momentô superabit omnia.

Quid tam novum, & inusitatum, quàm puerum duodennem; omnes o-

mnium Poëtarum tenere fabulas? tenet accuratè: artem dicendi callere penitùs? penitùs callet. Dialecticæ argutias, & Jurisprudentiæ tricas didicisse? apprimè didicit. Quid tam incredibile, quàm id ætatis adolescentulum Latinam, Græcam, Hebraicámque Lingvam habere probè perspectas, cognitásque? habet cognitas. Quid denique tam admirabile, quàm eô tempore, quô alii vix loqui expeditè sciunt, de Philosophiæ arcanis, & Theologiæ mysteriis coram celeberrimo cœtu doctissimorum hominum cum laude disputare? adversantium petitiones eludere! palmam referre? Disputavit, elusit, retulit.

Sustentatio figura est, quâ suspensos tenemus aliquamdiu audientium animos, donec tandem id, quod quasi animô conditum servabatur, exponamus. Adhiberi autem solet hæc figura, cùm explicaturi sumus aliquid inusitatum, admirabile aut inexspectatum, nisi fortè quis jocari velit, aut movere risum, ut fa-

ùt fa it Martialis hoc Epigrammate:

Quòd convivaris sinè me tam sæpè, Luperce
Inveni, noceam quâ ratione tibi.
Irascar, licèt usque voces mittasque, regésque:
Quid facies inquis? quid faciam? veniam.

Causâ dictâ servi damnati sunt (*inquit Tullius in Verrem.*) Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam exspectatis aliquam? Noli usquequaque eadem quærere: in metu belli, furandi qui locus esse potest? itaque producuntur, & ad palum alligantur. Etiamnum mihi exspectare videmini, Judices, quid deinde factum sit, quòd iste nihil unquam fecit sinè aliquo quæstu, atque præda, &c. Exspectate facinus, quàm vultis improbum, vincam tamen exspectationem vestram. *Tum subjicit, quô pactô Verres pecuniâ corruptus reos solvi jusserit. VII. Verr. 10.*

Audite, quanto fuerint olim in pretio litteræ, quibûs homines doctos honoribûs ornârint, non ipsi modò Reges, sed Tyranni. Platonem Syracusas venientem excepit Dionysius Tyrannus: at quâ

pompâ? quô apparatû? Exſpectatis hic forſan, ei vias fuiſſe cylindro æquatas, ùt Caligulæ? aberratis. Aureîs reſperſas ramentîs, ùt Commodo? hallucinamini. Floribûs conſtratas, ùt Heliogabalo? nihil minus. Quid igitur? accipite, atque ſuſpicite. Platonem ipſum, aureîs vectum quadrigîs, auriga ipſe Dionyſius in urbem introduxit.

Hæc nuper fœmina, ancillulam cùm ferire vellet, idque non poſſet commodè, quòd manus haberet impeditas (tenebat enim alterâ ſpeculum, alterâ gemmeum torquem, & armillas aureas) quid illam feciſſe putatis? Speculum illud, dicet aliquis, in ejus caput impactum fortè comminuit? nequaquam; nam pretioſius erat, quàm, ut de cauſa tam levi frangeretur. Quid? nùm pede illam percuſſit, aut cubitô? nimis hoc uſitatum eſt cuivis de vulgo mulierum. An conviciis laceravit? & illud etiam nimis eſt vulgare. Quid igitur façere potuit? neque enim alia videtur eſſe ratio explendæ iracundiæ; aut.

aut doloris ulciſcendi. Imò alia eſt, ſed inſolita, ac nova. Nimirum dentibus rem agere inſtituit. Ain, tu, dentibus? quônam verò modô? Puellam, quæ à [illegible] erat ejus, ut capillos comeret, coràm venire jubet: paret illa: tum verò inhumaniſſima hæc mulier in ejus os irruens, naſum impetit, cùmque avertens opportunè ancilla vultum, pro naſo obtuliſſet aurem, hanc furia penè totam mordicùs abſtulit. O! nequitiam inauditam!

Tranſitio non tam figura eſt, quàm quidam veluti figurarum nexus: quô fit ut aptè inter ſe juncta orationis membra cohæreant, efficiantque unam quaſi corpus. Dicitur autem tranſitio, quòd per illam ab una orationis parte tranſeatur ad aliam; quod, quâ ratione ſit præſtandum, non tam præceptis, quàm uſu, & lectione condiſcendum eſt. Moneo tantùm, nullam rem fermè eſſe, in qua orationis ingenium, induſtriáque magis eluceat, quàm in his tranſitionibus: eaſque omnium illu-

ſtriſſimas vulgò cenſeri, quæ orationis partes ita delicatè committunt, ut ipſæ commiſſuræ vix appareant. En tibi nonnullas vulgares formulas.

Ad hæc, illud etiam conſiderandum nobis eſt.

Adde his, accedit his, accedit ad hoc, huc accedit, quòd, &c.

Huc pertinet, eòdem pertinet, his finitimũ eſt, huic proximũ eſt illud, &c.

Ad hunc ordinem referendum eſt, quod domi contigit, &c.

Jam verò quid referam? &c. Age verô, explicemus nunc, &c. Quid, quòd ſuos etiam inceſſit?

Nihil jam dico de illo ſcelere. Omitto domeſticas ejus ſordes. Nam illud quid attinet commemorare?

Sed hæc utcunque ignoſcenda, illud quis ferat?

Audiſtis graviſſima, ſed audietis graviora.

Sed hæc privatim, nunc, quæ publicè geſta ſunt, videamus.

Sed hæc juvenis peccavit, nunc ſenis [illegible]ntes audietis.

Quid his immoror? ad id, quod est hujus causæ caput, festinet oratio.

Habes, quid in illum contulerim beneficiorum, nunc, quam gratiam mihi retulerit, accipe.

Sed hæc vetera, illud autem recens.

Sed ne fortè ex multis rebus gestis M. Antonii, rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. Non dissimulat, Patres conscripti, apparet esse commotum, sudat, pallet.

Sed arrogantiam hominis, insolentiámque cognoscite.

At etiam ausus? quid autem est quod tu non audeas?

Ad ejus Tribunatum, quid ad se se jam dudum vocat, & quodammodo absorbet orationem meam, contentô studiô cursûque veniamus.

Sed nimis multa de nugis: ad majora veniamus.



PARS QUARTA
De Amplificatione.

AMplificationis nomine hìc ego cum Cicerone intelligo graviorem quādam affirmationem, quæ motû animorum conciliat in dicendo fidem, & quæ non nisi ad magnas, gravésque causas adhibetur. Cum Isocrate, artem illam intelligo, quâ ex parvis ampla (unde amplificationis nomen deductum est) ex angustis extensa, & lata, (ex quo dilatatio nuncupatur) ex compressis diffusa, & explicata fiunt.

CAPUT I.
Amplificandi prima Ratio.

AMplificare non est inani verborum exaggeratione rem augere supra modum eique plùs attribuere, quàm veritas concedat. Sed amplificare quidpiam dicimur, quoties ea, quæ insunt in ipsa re, aut affinitatem habent cum illa, exprimimus dicendo. Sic suas propola merces amplificare dici potest,

cùm

cum, quæ habet variis in ciſtellis recondita, convoluta, & complicata, evolvit, exponitque in officina ſuo quæque loco: ſimiliter Orator dilatare dicitur aliquid, cùm ejus partes omnes, alias aliis inſertas, ac permixtas explicat, ut ſingulæ appareant, & ſuum ab aliis ſegregatæ obtineant locum: Quod planiùs ut fiat, adverte, nullum eſſe argumenti genus, nullam ſententiam, propoſitionem nullam, quæ, cùm ſit quoddam totum ſeu phyſicum, ſeu morale, partes non habeat ſuas, vel phyſicas, vel morales, hoc eſt, cogitatione diſtinctas. Primi generis partes habet hæc propoſitio: *Orbem peragravit univerſum.* Orbis enim veris partibûs conſtat, terrâ ſcilicet, ac marî, provinciîs, regnîs, variîs regionibûs. Secundi generis partes habet iſta: *Cainus fratrem interfecit.* Nam execrandi hujus facinoris partes, ſaltem animô diſtingvi inter ſe poſſunt: adjuncta nimirum ſingula, quas vulgò circumſtantias dicimus, cujuſmodi ſunt, perſona, locus, tempus, inſtrumentum, finis, &c. quæ

huic ſceleri ſunt locò partium. Obſerva porrò, cuivis pronum eſſe, veras, ac naturales partes totius cujuſpiam invenire, quòd nimirum cadant ſub oculos: at quas morales diximus, non ita facilè deprehenduntur; quippe, quæ ab ingenio noſtro pendeant, & mentis acie quaſi producantur. Itaque requiritur ratio quædam, quâ faciliùs inveſtigari, & inveniri queant. Hanc verò rationem docet Rhetoricæ ars, ùt in ſequentibus exemplis videre eſt.

Rempublicam conſervavit Cicero.

Ab enumeratione partium.

Cùm perditiſſimorum hominum nefarios conatus repreſſit in Conſulatu, audaciámque refutavit M. T. Ciceronis ſumma vigilantia, & divina dicendi vis; Senatûs auctoritatem debilitatam, ac propè oppreſſam erexit: Equites Romanos aſſeruit in libertatem; plebem vindicavit à ſervitute crudeliſſima; ignem ab ædibus prohibuit, ſacrilegia, & rapinas ab aris, & templis; à mœnibus ruinam; tyrannidem à Curia; Remp.

deni-

denique universam, jam præcipientem, & in certum ruentem exitium invicto robore sustinuit mirabili solertiâ excitavit, & in pristinum gradum restituit. Vides ibi recensitas partes Reipublicæ singulas.

Judas prodidit Christum.

Ab enumeratione adjunctorum.

Partes illius propositionis adjuncta sunt.

Quis prodidit, quem, quibus, quamobrem prodidit, quibûs auxiliîs, quomodo, ubi, & quando prodidit. Quibûs omnibûs in unum collectîs, proditionem illam sic expones. (*Quis?*) immanis ille furcifer, ac latro, tetrum illud, horribileque hominis monstrum, ex omni scelere concretum, vilissimus ille, detestabilisq; servus. (*Quem?*) Dominum, ac DEUM suum, omnis sanctimoniæ fontem, omnis thesaurum sapientiæ, hujus universitatis effectorem, summúmque arbitrum. (*Ubi?*) in horto, divinîs dudum ipsius vestigiîs, precibûs, ac lacrymîs, nunc etiam fusô humi

sangui-

sangvine, recèns consecrato (*Quando?*) hac eadem nocte: quâ post celebratam cum illo cœnam, lutulentos ejus pedes Christus ipse abluerat, & exterserat. (*Cur?*) œstro avaritiæ percitus, turpissima pecuniæ cupiditate stimulatus. (*Quomodo?*) non apertâ vî, sed dolô irruens; non denuntians palàm bellum, sed pacem simulans fictâ salutatione; pestilenti complexû, atroci osculô. (*Quibus?*) nefandæ carnificum cohorti, quibûs stipatus erat, & infensissimis inimicis, ejus vitæ jam diu insidiantibus, per inauditam, execrabilémque perfidiam vinciendum, excruciandum, ac contrucidandum objecit. Poterant illæ partes seorsim, ac separatim tractari, additis transitionibûs idoneis.

CAPUT II.

Amplificandi rationes aliæ.

ALiæ amplificationis rationes ducuntur, ab aliis locis oratoriis, in quibus nimirum, tanquam in quibusdam pyxidibus, argumenta, & probationes includuntur. Quemadmodum autem

pyxidibus, narthecii ſque adſcribi ſolent earum rerum nomina, quas continent; ita hi loci quibûſdam notîs indicant, quid in quoque loco quæri oporteat. v. g. hæc nota, ſeu epigraphe *à definitione*, oſtendit, inquirendas eſſe illô locô definitiones rerum, de quibus agitur. *A notatione nominis*, inveſtigandum eſſe, quid rerum illarum nomina ſignificent. *A diſtributione partium*, quibûs partibûs illæ conſtent: & ſic de aliis. Illud autem præcipuè curandum eſt, & indagandum, qui loci argumento, quod ſuſcepiſti, convenientiores ſint, & qui minùs idonei, ut, hîs omiſsîs, diligentiùs excutias illos.

Quô pactô ex omnibus locis capi argumenta poſſint, non unô locô docuimus, capitibus 9, & 10. primæ partis hujus libri.

Nonnulos ad inveniendas rei cujuſlibet proprias dotes adjuvat ſeries quædam & index nominum adjectivorum, & ſubſtantivorum, è quibus colligunt, quid in laudem, aut vituperationem dici poſſit.

Adje-

Adjectiva ad laudem pertinentia.

Admirabilis, auguftus, amabilis, beatus, bonus, charus, conftans, defiderabilis, divinus, doctus, dulcis, fauftus, fortis, gloriofus, gratus, honeftus, honoratus, illuftris, innocens, juftus, laudabilis, magnificus, nobilis, perfectus, pius, potens, præclarus, rarus, facer, falubris, fanctus, fapiens, fplendidus, fublimis, tranquillus, verus, vigilans, utilis.

Subftantiva laudis.

Aftrum, cœlum, cor, decus, agnus, confolatio, corona, flos, lux, pax, præmium, quies, Rex, Regnum, religio, falus, fceptrum, fol, templum, thefaurus, victoria, vita.

Adjectiva vituperii.

Arrogans, afper, atrox, aufterus, barbarus, caducus, cæcus, callidus, captivus, contagiofus, contemptus, corruptus, crudelis, damnofus, deformis, demens, deplorandus, defperatus, durus, egens, fallax, ferreus, ferus, flagitiofus,

fœdus, fœtidus, funeſtus, furax, furioſus, horridus, ignarus, ignavus, improbus, imprudens, impurus, inanis, incōmodus, infamis, infauſtus, infidelis, ingratus, injuſtus, inſidioſus, inſolens, intemperans, intolerabilis, inutilis, lethifer, malus, miſer, moleſtus, mutabilis, nocens, obſcurus, odioſus, periculoſus, rebellis, rudis, ſacrilegus, ſeverus, ſordidus, ſtupidus, temerarius, turpis, vanus, vilis.

Subſtantiva vituperationis.

Bellum, cadaver, calamitas, carcer catena, cœnum, crimen, dæmon, damnum, dedecus, dolor, fax, fames, fel, fœditas, inſidiæ, morbus, mors, odium, ſeditio, ſerpens, ſervitus, ſpinæ, ſtrages, ſtultitia, tyrannus.

Adjectiva communia.

Abſconditus, abundans, adverſarius, æternus, afflictus, amicus, aptus, facilis, fertilis, fœcundus, immenſus, immortalis, incenſus, indignus, novus, patiens, perſeverans, plenus, primus, armatus,

matus, avidus, bellicosus, celer, deceptus, insatiabilis, insignis, levis, liber, longus, lugubris, magnus, necessarius, verus, similis, tristis, vacuus, venialis, vulgaris.

Substantiva communia.

Arbor ars, arx, aula, basis, calor, canalis, campus, causa, clavis, columna, cunæ, cura, deliciæ, fama, fons, fornax, labor, lac, lex, opinio, orbis, pondus, radix, rumor, speculum, via.

CAPUT III.

Figuræ Amplificationi præ cæteris idoneæ.

MAgna pars Amplificationis consistit in figuris, quibus argumenta ornantur. Illas exemplo ab uno facile cognosces. Libet hanc sententiam amplificare, & illustrare.

Peccatum fugiendum est; quia innumeras in hac vita pœnas affert, & æternas in altera. Illam efferes.

1. *Simpliciter, & sine exornatione per trimembrem periodum.*

Peccatum idcirco insectari debemus immor-

immortalî odiô, & vel ipsius umbram exhorrescere; quia innumeras in hac vita parit ærumnas, & in altera cruciatus afferre solet sempiternos.

2. *Per interrogationem simplicem.*

Quid peccatô detestabilius? quid magis est abominandum, Nonne gravissimîs doloribûs in hac vita corpus, angoribûsque mentem afficit, æternôque post mortem suppliciô utrumq; discruciat?

3. *Per Interrogationem objurgatoriam.*

Quid agis, amens? quid moliris, scelerate? quid est, quòd tot flagitiîs corpus, animúmque contaminas? An nescis, innumerabiles à peccato miserias invehi? An ignoras, illam unam originem esse malorum omnium?

4. *Per Interrogationem, & Apostrophen.*

Quis te, o! beatarum mentium dux quondam, princeps Lucifer! quîs, inquam, te unà cum tuis asseclis ab altissima cœli regione præcipitem egit in tartarum? Dic tu, mortalium, mortísque parens infortunatissime, quis te à

feli-

felicissima vitæ conditione in infelicissimam deturbavit? nonne peccatum?

5. *Per Apostrophen.*

O! peccatum exitiosum! o! maximum, unicumq; malum! cùm fœdum adeò, turpèque sis, cur te non aversamur? Cùm summam, æternamque nobis perniciem afferas, quam ob rem te admittimus?

6. *Per Apostrophen ad peccantes.*

O! cœci, o! inconsideratissimi, o! dementiores pecudibûs homines qui tam levi de causa toties, tamque immania scelera patratis! quid? vósne latet, quàm horrenda vobis pœna immineat, quantam malorum vim in vestrum caput struatis?

7. *Per Apostrophen, & Exclamationem.*

Quàm verè, sapienterquè dici solet: ignorantem esse, quicumque peccat; nescire illum, quid agat, quibûs se malîs implicet! Ita est profectò: Nescis, impure, nescis, quò tua te nefaria libido rapiat: Nescis, avare nescis, quos ad scopulos te allisura sit cupiditas os
pum:

pum: Ignoras, helluo, quàm te in Charybdim immergas: Ignoras, homo vanissime, in altum plerosque tolli, quo lapsû fœdiore ruant?

8. Per Apostrophen, & Deprecationem ad Deum.

Te, Deus optime, maxime, per infinitam illam tuam, in humanum genus benignitatem oro, obsecróque, immeritis licèt veniam tribue. Excœ at miseros dementia, furor de potestate mentis dejicit; abripiuntur æstû cupiditatum; peccati gravitatem minimè sentiunt: nec, quàm fœdîs se maculîs inficiant, vident; nec, quàm impiè divinum tuum Numen offendant, advertunt satis; nec, quàm horrendîs se pœnîs obstringant, insani cogitant.

9. Per Apostrophen, & Imprecationem ad Deum.

O! sancte DEUS, aspernantur impii tuum Numen, tua Sacra contemnunt, religionem violant. Quousque tantam impudentiam, malitiámque patiêre? quousque abutentur scelesti patientiâ tuâ?

tuâ? quin pœnas maturè repoſcis tot flagitiis debitas? Levia ducunt, quæ in hac vita tolerant? morte atroci plecte perditos, æternis obrue catenîs rebelles, ſempiternîs conſceleratos ſuppliciîs macta.

10. *Per Communicationem.*

Si imminentem à tergo carnificem videres ſtrictô ferrô manúque jam elatâ paratum ad cervices tibi amputandas, ſimul ac eſſet quidpiam contra honeſti leges à te commiſſum, quid ageres? Atqui, cùm immineat tibi æterna mors, non vis te quotidie criminibûs inquinas?

11. *Per Exclamationem.*

O! amentiam mortalium! o! ſtultitiam incredibilem, omnibûs lacrymîs gemitibûſque deplorandam! Turpem momenti voluptatem dolor excipit nunquam finiendus: hôc illi ſciunt, hoc fatentur, hoc prædicant; & peccant tamen, & flagitia flagitiîs cumulant.

12. *Per Præteritionem.*

Ut te à peccando deterream, non hîc ego mala enumerabo omnia, quæ cul-

pam

pam consequuntur: quis omnia vel cogitatione recenseat? Silebo dolores corporis, angores mentis, terrores, stimulosq; conscientiæ, & intestinos cruciatus: hæc, inquam, præteribo mala omnia; quòd tametsi gravissima finem habitura sint aliquando: æterna solùm inferorum supplicia commemorabo, quibûs torqueberis in omne tempus, nisi resipiscas.

13. *Per Hypotyposin malorum hujus vitæ.*

Enumera, si potes, partem malorum minimam, quæ parit peccatum. Cerne ardentes bellô regiones; hæc peccatum excitavit incendia. Vide exhaustas regiones incolîs, quas lues absumpsit; hanc induxit luem peccatum. Aspice lamentabili nece prostratos urbium cives, quos intestina odia in mutuam perniciem armarunt; hæc odia movit peccatum. Intuere, quantîs morborum doloribûs, quot ærumnîs obruatur hominum genus; hæc damna omnia peccatum invehit.

14. *Per Hypotyposin malorum alterius vitæ.*

Non te movent ærumnæ, & calamitates, quibus obruuntur scelerati, dum hujus adhuc fruuntur usurâ lucis. Descende cogitatione in Tartarum, cerne ignes illos, rotas illas, & verbera; cerne voragines præaltas, & sinè fundo fossas, mephitim exhalantes intolerabilem, sulphureamque flammam atro mixtam fumo evomentes: Aspice, ùt laniantur isti: ùt torrentur alii, ùt discerpuntur alii, ùt omnes incredibiliter crucientur. Peccatum tantis illos pœnis addixit.

15. *Per Subjectionem ab Effectis.*

Si nondum te tartarei hujusce monstri fœditas terret, at saltem exhorresce, quæ mala progignit. Quid enim turbas movet, seditiones excitat, bella generat? nonne peccatum? Quid infert mentis ægritudines, quid morbos, quid cruciatus, quid cædes innumeras? Nonne sunt ista peccati stipendia? Quid naufragia navigantibus; quid pestilentiam urbibus? quid agris vastitatem quid

quid rebus extremam perniciem, quid mortalibus denique omnibus mortem sempiternam importat, nisi peccatum?

16. *Per Subjectionem ab Adjunctis.*

Quò te ages, infelix, post conceptum, patratumque facinus? quò te recipies, ut fugias sequentem pœnam? quem in locum te abdes, quò Furiæ ardentibûs tædîs armatæ te non insectentur? Discedes in desertissimas solitudines? te ibi lancinabit acerbiùs scelerum tuorum conscientia. Venies in publicum? ardebunt in te odia omnium bonorum. Quem appellabis, qui propulset à tuo capite imminentem pestem? Amicos? improborum amicus nemo nisi improbus. Affines, quos decorâsti? Propinquos, quibus labem aspersisti? Parentes quos affecisti maculîs æternæ infamiæ? Ad bonos, beatosque genios te convertes? exhorrent tuum conspectum. Ad ipsum Deum? quem offendisti, qui pœnas brevì à te infinitas repetet, nisi quàm mox illum verâ placare pœnitentiâ conaris.

17. Per Subjectionem à Definitione.

Quod malum, quod morbi genus, quæ calamitas, quod infortunium esse potest, quod non oriatur à peccato? Plagas times: tortor eſt. Ignominiam metuis? nihil peccatô turpius. Vitam amas? ah! mors eſt omni morte crudelior.

18. Per Proſopopæiam.

Dictis meis fidem non adhibes? audi quid vociferentur homines illi, quos vel in hac vita conſcientia malefactorum divexat, vel qui ſuppliciîs nunquam terminandîs torquentur in inferis. Peccata ſunt, inquiunt, à nobis commiſſa, quæ nos excruciant; hæ ſunt Furiæ, quæ nos quieſcere non ſinunt; hi carnifices, qui nos, dies, noctêſque dilaniant: hæ flammæ, quibûs urimur; hi ſtimuli, quibûs fodimur; hæc verbera quibûs laceramur; hæ rotæ, quibûs miſerabilem in modum diſtrahimur.

19 Per Antitheſes.

Exultas miſer, exſiliſq; præ gaudio vel dum te ſceleribûs contaminas: victus es; & liberum te prædicas: conceptam

ptam in præcordiis mortem contines; & sectaris vitæ delicias: paratur tibi mala crux; & rides: impendet capiti suprema calamitas; nec moveris: discessit tuos ante pedes terra horrendô hiatû; & in barathrum lætus insilis. O! cæcitatem!

20. Per Antitheses, & Comparationem.

Age, scelerate, age facinorose! confer voluptatem quam peccando concipis cum dolore, quem patrato scelere hauris. Evanescit illa puncto temporis; iste diuturnus, & nisi vitam emendas, sempiternus futurus est. Stat illa velut foris; hic totum pervadit hominem: nec corpus torquet modò, sed animum angit æternúmque cruciat.

21. Per Concessionem.

Esto, sit ita; ùt dicis; insint flagitiis illecebræ, quæ blandiantur sensibus: At catenarum, quibûs animum opprimunt, nonne gravitatem sentis? Oscula, quæ libat scelerata voluptas, sunt mollia, fateor: At quos simul infigit ungyes, quæ vulnera infligit, eane tu grata, ea-

ta, eane ſvavia eſſe dices? Non injucundè canunt Syrenes fraudulentæ: ita eſt: at quos in ſcopulos, quas in Syrtes inſidioſô cantû te pertrahant, non animadvertis? Placet hamus doloſam tegens eſcam: at voratus necat.

22. *Per Diſtributionem.*

Illecebroſum quidem eſt peccatum ad voluptatem, ſed crudeliſſimum eſt ad pœnam. fœdiſſimum ad ignominiam, æternum ad diuturnitatem. Et illud in ſe admittere quis audeat, eô delectari, in illo vivere, cum illo mori?

23. *Per Increpationem.*

Mortalium nequiſſimi, ecquando facietis peccandi finem? nullumne ſtatuetis improbiſſimæ libidini modum? Ecquæ vos ratio ab inſania, aut ab impudicitia pudor, aut ab effrænata licentia timor, aut à ſcelere pietas, aut à dedecore honeſtas revocabit?

24. *Per Dubitationem, & Gradationem.*

Quo te nomine appellem, noxa exitialis? Morbum? morbis omnibûs acerbior es. Peſtem? tê nulla peſtis tetrior

& præsentior. Incendium? aliquid es perniciosius. Feram immanem? immanior existis. Mortem calamitosissimam? parùm est illud quoquè. An illa simul omnia te esse dicam? nec satis illud erit etiam: ut enim hæc simul omnia in unum mala confluant, corpori duntaxat perniciem inferunt; tu grassaris in animum: & quamvis ad animam illa pervenirent, finem tamen haberent aliquando; tu nullum cruciandi finem facis.

25. *Per Gradationem & Interrogationem.*

Ubinam tandem aliquando subsistes, culpa pestilens? quo demum in gradu malorum hærebis? Dolore corpus conficis, an non id satis est? Caliginem offundis menti: labefactas judicii vim: frangis ingenii vires: hebetasque aciem: de statu naturæ totum hominem dejicis: quò ultrà serpes? Etiam mortem affers teterrimam? scio, ac video. At si mors saltèm esset malorum postremum? Non erit; ultra mortem quoque peccatum, immortale malum, desæviet

26. *Per Ironiam.*

Immitis, injuriúſque ſum, qui innocentiſſimorum hominum deliciis officiam, qui importuna oratione voluptates turbem liquidas, quibus indulgent? Sinamus eos per otium frui conquiſitîs, tanto labore commodîs, oblectent ſe vinô, cædibûs, rapinîs; volutate vos in cœno libidinum, obſequimini genio, indulgete cupiditati, nihil inde mali timendum vobis eſt.

27. *Per Expoſitionem, à ſimili.*

Videte ſtultitiam peccantium: ut certiùs celeriùſque pereant, ſuîs ſibi ſumptibûs arceſſunt malorum ultimum; domos ipſimet ſuas fodiunt, quibûs obruantur; pyras extruunt, in quibus ardeant; nectunt laqueos, queîs ſe interimant; momentaneas aucupantur voluptates, ut ſemper duraturîs doloribûs crucientur.

28. *Per Synonyma; à diſſimili.*

Quis ſatìs miretur, inconſiderantiamne dicam noſtram, an dementiam? qui ob inane lucrum rei leviſſimæ, nulliuſque

que pretii, curîs vigiliîsque atterimus vitam? quàm fluxam voluptatem multorum emimus annorum labore, unùmque diem ut vivere beatos liceat, totam consumimus ærumnîs ætatem. Ut verò æterna evitemus damna, ut immortale fugiamus dedecus, ne à peccando quidem abstinemus.

29. *Per Deprecationem.*

Quò, quò ruitis infelices? Ah? per salutem vestram precor absistite. Præruptâ, lubricáque in crepidine versamini prælti præcipitii; quid occlusîs luminibûs; impetûque malesanô præcipites ruitis? Aperite, vos oro, atque obtestor, per quidquid vobis charum est, aperite oculos, ac circumspicite tantisper; quàm horribilia vos mala circumstent.

30. *Per Cohortationem.*

Detestamini ergo, adolescentes, abhorrete morte pejùs & infernô culpam omnem; occasiones peccandi declinate omni animi solertiâ, omni contentione mentis. Id unum spectent cogitatio-

nes vestræ omnes, ut præstetis vos immunes à noxa ut devitetis delicta quælibet, ut puram ab omni labe vitam, illibatamque traducatis; cùm obscurum jam vobis esse non possit, innumerabiles ærumnas, æternaque mala peccantibus impendere.

CAPUT IV.

Fontes, & exempla quædam graviorum Amplificationum.

GRaviores illæ amplificationes præcipuè adhibentur ad movendos auditorum animos, in quo solet Eloquentia triumphare. Ducuntur autem, ùt *sæpè* diximus, ab insignioribus locis oratoriis certô quodam modô vehementiore, & splendidiore tractatis, adhibitîs nimirum figurîs verborum, & sententiarum illustrioribûs, ùt è sequentibus exemplis apparebit.

Primus hujusmodi Amplificationum fons est: locus à definitionibus conglobatis; cùm scilicet ejusdem rei variæ definitiones in unum locum congeruntur: unde alio nomine congeries, seu fre-

frequentatio definitionum vocatur hic locus. Ita Cicero non satìs habens, dixisse, incensam esse Curiam, adjecit definitiones Curiæ plurimas.

Curiam, inquit, incendit, quó quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, Caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari.

Virtutem commendare si cupis, illam esse dices animi animam nostri, vitæ decus, mentis puriores delicias, æterni radium solis, felicitatis auroram, immortalitatis parentem, perennémque fontem bonorum omnium.

Modestiæ præconium.

Hâc virtute, quid, quæso pulchrius, atque adeò quid amabilius fingi potest? Est quippe animi facies amœna, pignus probitatis, nitor morum, pudicitiæ munimentum, taciti hominis commendatio eloquens, humanæ societatis lumen,

& de-

& decus, rapax charitatis illecebra, sedes honoris.

Quid est invidia? Malum genitum à bono; caligo est à splendore oriens, à pulchritudine nata deformitas, à risu lacryma fluens: Rivus est fellis, à fonte mellis profluens, è planta honestatis nequitiæ fructus, proprius ab aliena lætitia dolor, calamitas domestica ab externa gloria manans, intestinum infortunium, quod fortuna creavit prospera, ægritudo voluntaria, crux fixa malevolis, & perpetua virtutis hostis.

Alter Amplificationis gravioris fons: locus est ab enumeratione partium, de quo jam sæpè facta mentio.

Tertius Amplificationis fons dicitur: ab effectis.

Vitii, & virtutis effecta.

Nulla, *inquies*, mala sunt, quæ non exoriantur à pestilenti fonte vitiorum; nulla bona, quæ virtus non affert. *Benè: sed nimis exiliter: expone, quæ mala illa sunt, & quæ bona.*

Inde vitii demonstra fœditatem, quòd

quòd rationi adverſetur, quòd contaminet animum, quòd Divinum Numen offendat, quòd Auctorem ſuum dirîs excruciet modîs, curîs exedat, metû percellat, &c. Tum, quòd leges, quòd inſtituta, quòd fœdera, cæteráque humanæ ſocietatis Sanctiſſima jura pervertat, labefactèt, exſcindat. Denique, quòd peſtem rebus publicis, provinciis calamitatem, perniciem regnis, urbibus exitium, familiis damna innumera, ſingulis denique univerſum malorum agmen importet.

Virtutem autem ſi ornare cupis: dic, illam eſſe, quæ mœſtos recreat, ægros reficit, jacentes erigit, excitat afflictos, miſeróſq; levat; quæ ſplendorem rebus obſcuris, vilibus pretium, abjectis dignitatem, vulgaribus honorem, humilibus excelſitatem, contemptis commẽdationem affert, omnibúſque venerationem conciliat.

Geographiam ſi laudare cupis, ejus effecta ſic recenſere poteris.

O! artium præclariſſima, quibûs te lite-

lit rarum monumentis extollemus? quâ prædicatione celebrabimus? quo tibi laudum genere pro tuis in nos beneficiis grates referemur? Nostris enim ut servias oblectationibus, & emolumentis; facis mundi compendium, omnia loca sub uno aspectu posita oculis subjicis, remotas regiones proximis implicas, cæterisque, ac disjunctissimis nostras innectis: Per te orbem utrumque percurrimus immoti, &c.

Cœlestis gloriæ spem, vel desiderium ab effectis ita commendabis.

O! cœlestis gloriæ beata spes! sine te jaceremus mortales miseri, aut ærumnis fracti, aut vitiorum lenociniis depravati, nisi nos, velut avulsos ab uberibus voluptatum, invitares ad immortalis vitæ decus, erudires ad disciplinam, corroborares ad laborem, firmares ad pericula, interritos ad omnem casum, eventumque redderes, nec adversis minùs rebûs, quàm prosperis præstares invictos.

Quartus fons Amplificationis petitur à con-

à consequentibus: cùm ea, quæ rem quampiam consequntur, exponimus. Ut, si adversùs authorem belli faciendi, mala enumeres, quæ bellum sequi solent: videlicet.

Exhaustum ærarium, abacta pecora, proculcatas segetes, incensos vicos, & villas, desertos agros, eversa mœnia, compilatas domos, direpta templa, fractam laboribûs juventutem, tot adolescentium mores licentiâ depravatos, extinctas artes, corruptam disciplinam, obliteratam religionem, confusa divina, humanaque omnia, tibi uni accepta referemus, si belli author fueris.

Solis Occasum consequentia.

Cerne, ùt occidente die, quasi natura omnis esset extincta, sepultaque tenebris, amicitur veste funebri mundus: ùt accensæ micant toto æthere funestæ faces: ùt cœlum, quod manè præ lætitia colliquescebat in rorem melleum, serò solvitur in noxium fletum: ùt evanescit orbis pulchritudo, ùt obsolescit splendor urbium, camporumque

amœnitas, & plantarum vigor, ac florum decor, ùt triste silentium cuncta tenet, dum solæ noctuæ, soli bubones, vespertiliones, ac ranæ infestant omnia ferali cantû. Intereà cæteras animantès stupor, ac pavor occupat, volucres gemunt in nidulis, homines jacent in lectis oppressi somnô, &c.

Quintus Amplificationis fons: adjuncta sunt, sive rei circumstantiæ. Ebrietatem Antonii exagitat ab hoc loco *Tullius Philippicâ II. num. 63.* Tu istîs faucibûs, istîs lateribûs, istâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. O! rem non modò visû fœdam, sed etiam auditû! Si inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò populi Romani, negotium publicum gerens Magister Equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustîs esculentîs, vinum redolentibûs gremium suum, & totum tribunal implevit.

Sex-

Sextus fons Amplificationis est à contrariorum frequentatione, cùm multa sibi adversantia congeruntur. Mirabilem habet Tullius amplificationem ab hoc loco ductam, cùm describens ea, quæ in Varronis villa fiebant ab Antonio, homine impurissimo, ita loquitur.

At quàm multos dies in ea villa turpissimè es perbacchatus? Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O! tecta ipsa misera, quàm à dispari domino, (quamquam, quomodo iste dominus) sed tamen, quàm à dispari tenebantur! studiorum enim suorum Marcus Varro voluit esse illud, non libidinum diversorium. Quæ in illa villa antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur jura populi Romani, monumenta majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisq; doctrina. At verò, te inquilino (non enim Domino) personabant omnia vocibûs ebriorum, natabant parvimenta vinô, madebant parietes, &c.

Septimus fons Amplificationis est in exem-

exemplorum frequentatione: cùm scilicet multa coacervantur exempla quibûs probetur, quod propositum est. Porrò exempla ejusmodi tractantur eleganter per comparationem.

Octavus fons Amplificationis à comparatione petitur. Comparationem dico, non eam, quæ res similes dissimilibus aut similibus opponit; hæc enim spectat ad locum similitudinis: sed eam, quæ res majores cum minoribus, minores cum majoribus, pares cum paribus confert, contenditque. Sic Orator primâ in Catilinam, *num. 3. An verò vir amplissimus Publius Scipio Cajum Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipublicæ privatus interfecit, Catilinam orbem terræ cæde, atque incendiîs vastare cupientem nos Consules perferemus?*

Argumentum à minori urget eleganter D. Cyprianus collatîs utriusque partis circumstantiîs. Si Herus delinquentem servum punit, cur Deus de homine peccante supplicium non sumet? *Ipse de servo tuo supplicium exigis? & hominem*

homo

homo obedire compellis. Cùm sit eadem vobis sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis; cùm aquali jure, & pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo recedatur: tamen, nisi arbitriô tuô tibi serviatur, nisi voluntatis nutui pareatur, imperiosus servitutis exactor, flagellis verberas, fame, sitî, nuditate, frequenter ferrô, & carcere affligis, & crucias; & non agnoscis Dominum Deum tuum, cùm sic exerceas ipse dominatum?

Cicero pro domo sua *num.* 130. Cassiũ Censorem, ejusque factum, cum Clodio, qui domum Ciceronis temerè consecraverat, splendidè componit. *Quæso*, inquit, *& hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. Ille erat summâ modestiâ, & gravitate Censor; hic Tribunus plebis scelere, & audaciâ singularî: Tempus, &c.* Ita Christiani flagitium amplificare poteris, Christum sceleratô quôpiam factô negantis, ùt ait Apostolus cùm Divi Petri culpâ, & negatione, & hunc leviùs illô peccâsse ostendes.

Non

Non est, quòd plura congeramus Amplificationis, & locorum, unde sumuntur, exempla, quæ passim legenti Romanum Oratorem occurrunt. Sic Orat. pro Cæcina, *num. 67.* laudat Aquilium Judicem, enumerando varias virtutes huic muneri accommodatas. *Percommodè accidit, &c.* Pisonem omnium mortalium sententiâ esse condemnatum, docet conglobatîs ejus criminibûs *num. 96. An ego te expectem dum te, &c.* Clodii pariter flagitia enumerat pro Milone *num 74.* per egregiam repetitionem, & varia incisa. Causarum congeriem habes pro Sextio *num. 46.* ubi per allegoriam causas affert, cur exulare sponte, quàm pugnare cum adversariis maluerit. *Cùm in hanc Reipubl. navim, &c.* Effecta conglobat pro Lege Manil. *Quid tam novum, quàm adolescentem privatum difficili Reipublicæ tempore exercitum conficere? Pompeius confecit; huic præesse? præfuit &c.* Item Philip XIV, *num. 8.* per prætermissionem. *Refugit animus, eaque formidat dicere, quæ Antonius effecerit. &c.*


Con-

Congerit: eventura mala ex Catilinæ conjuratione pro Mur. *num. 85. Quid tandem fiet, si illa pestis prorumpet in agros suburbanos, si huc advolabit: versabitur in castris furor, in Curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas, omni autem in loco ferrum, flammamque metuemus.* Eadem consequentia per Hypotyposim subjicit oculis quartâ Catil. *num. 11. Videor mihi hanc urbem videre: cerno sepultam Patriam; versatur mihi ante oculos Cethegi furor in vestra cæde bacchantis.*

Dissimilium confléctione probat Cœlium Reipublicæ profuturum, & comparationem inter illum, atque Clodium instituit *num. 78.* Ab iisdem dissimilibus non esse timendos Catilinæ socios monet, Catil. 2. *num. 24. O! bellum magnoperè pertimescendum, &c.* A contentione rerum pugnantium Milonem in patria retinendum esse persvadet, *num. 104. Nolite, obsecro vos, pati, &c.* Urget ab eodem adversarium pro Roscio Com: *num. 18. Qua in re mihi ridiculè visus es incon-*

inconstans, qui eundem & laderes, & laudares, & virum optimum, & improbissimum esse diceres, &c.

Præter Amplificationis fontes hactenus explicatos, alius à nonnullis vehementer laudatur. Incrementum appellant: efficacissimum amplificandi genus à Quintiliano dicitur, cùm oratio per gradus quosdam veluti crescit: ùt, magna virtus est si non lædas, à quo læsus es, major fortitudo, si læsus remittas iram, & veniam annuas: maxima gloria, si cui nocere potuisti, hunc beneficiô devincias. Magna pars vitæ, inquit Seneca, elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Verrina VI. *Unum hoc crimen videtur esse; plura sunt: sed ea quo pacto distingvere, ac separare possim, nescio.*



PARS



PARS QUINTA

Aphthonii Progymnasmata,

APhthonius Rhetor illustris elementa quædam Rhetoricæ literis consignavit inscripsitque Progymnasmata, id est; prævias quasdam exercitationes, quæ sternerent iter ad Eloquentiam. Illæ requirunt cognitionem aliquam Figurarum, & Amplificationis, itemque Locorum, quos oratorios vocant, qua cognitione imbutos esse adolescentes Aphthonius minimè dubitavit, cùm sua scriberet Progymnasmata. Quamobrem ea rejecimus in ultimum hujus libri locum, ut faciliùs intelligerentur, & major ex illis fructus caperetur.

PROGYMNASMA I.
DE FABULA.

QUia narratio est quoddam quasi genus, fabulam, & historiā, tanquam partes complectens, explicanda primò locò esse duxi, quæ spectant narrationē.

Virtu-

Virtutes enim, & ornamenta, quæ vulgò historicæ, ac veræ narrationi tribuuntur, eadem fabulæ, quæ fabulosa narratio est, attribui debere nemo neget, ut ex arte fiat.

CAPUT I.

De Narratione generatim sumpta.

QUæ sunt virtutes Narrationis generatim sumptæ, hoc est, seu veræ, seu fictæ, ac fabulosæ? *Resp.* Hæ quatuor. Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas, & Svavitas.

Quô pactô erit brevis Narratio? *Resp.* Si nihil afferatur, quod sit superfluum.

Profer exemplum.

En. Cùm ensem, quem adolescens ille suspenderat in quodam domûs suæ angulo, arripuisset, illum strinxit, & inimicum insectatus est, tandemque cõprehensum percussit, atque interfecit. Hæc narratio nugatoria est, & ineptè longior. Brevis esset, ac melior, si ita diceres: Arreptô gladiô fugientem assecutus inimicum interemit.

Quomodo reddetur perspicua? *Resp.* Per-

Perſpicua, ſeu clara exiſtet, ſi verbîs uſitatîs, propriiſque conſtet; ſi vitetur rerum, & perſonarum nimia multitudo; ſi longiores omittantur verborum, ac ſententiarum circuitus, ſi denique tollatur omnis ambiguitas.

Da exemplum; in quo appareat hæc ambiguitas.

Do Cùm conſtaret, Privignum occidiſſe Vitricum domi ſuæ dormientem, ad Judicem ejus nomen delatum eſt: Quid obſcurius? Nam quæſo, uter eſt interfector, aut interfectus? Et illa domus cujus eſt? Privigni, aut Vitrici? Vaticinare,

Qua ratione fiet probabilis Narratio? *Reſp.* Probabilis reddetur ſeu credibilis, ac veriſimilis, ſi nihil contra decorum peccabitur, hoc eſt, ſi nihil dicetur, quod non conveniat perſonis ac rebus; nihil, quod loco, aut tempori non congruat.

Prome exemplum.

Si quis diceret, pictorem ſe vidiſſe utrôque orbatum oculô, præclaras imagines coloribûs exprimere ſolitum, ca-

reret illa narratio probabilitate; id e-nim fidem superat.

Quomodo svavis erit? Primò, si ver-bîs utaris elegantibûs, nitidìs lectîs, & sonantibûs, ipsique rei, quæ narratur, maximè congruis. Secundò si in ipso narrationis decursu expectationes concitabuntur; si motus animi interponen-tur, ut, lætitiæ., metus, iracundiæ, &c. Si colloquentes personas induxeris; si de-nique exitus occurrent inopinati, & ad-mirandi, quô vel audienti, vel legenti accidere jucundius nihil potest.

Declara id exemplô quôdam? *Resp.* Si mortem Ciceronis narrare velis, & di-cas: Popilius ad lecticam, quî Cicero vehebatur, approperans, stare jubet le-cticarios; extractúmq; Ciceronem ob-truncat; hæc narratio insvavis est ei svavitas conciliabitur, si motus quosdam & colloquia inferes hôc modô: Ut emi-nus lecticam Ciceronis aspexit Popilius ad illam citatô cursû contendit, stipatus ut erat, armatorum militum globô; tum exclamans, & manum protendens, state inquit,

inquit, lecticarii: famuli exterriti si-stunt: lecticam milites cingunt. Tum minaci voce Popilius: ubi herus vester? ubi Cicero? Qui audiens, se nominari, seque unum peti, profert è lectica caput, & Popilium iratô vultû intuens: En, inquit, feci carnifex, hoc caput amputa, & ad Antonium defer. Ille nihil cunctatus, gladiô, quem tenebat, cervices abscidit. Narratio ista nonne prima illâ suavior est, ac venustior?

Quæ sunt narrationis ornamenta?

Ea, sine quibus nuda, simplex & incompta narratio est.

Quotuplicis sunt generis?

Duplicis: Alia sunt in verbis posita, alia in sententiis.

Quænam sunt ornamenta, quæ in verbis sita sunt?

Hæc præ cæteris.

Primum.

Verba hæc: inquit, ait, & si quæ similia sunt aptè reliquæ dictioni alligantur: quod fit cùm nec initio, nec in fine sententiæ ponuntur; sed post unum, alte-

rúmve verbum, hôc modò: Finge matrem, quæ filium è caupona revertentem increpet. Censesne, inquit mater, tantum dedecus me laturam diutiùs? Quid enim commisi mali? respondit adolescens. At Mater: o! impudentem! inquit; etiam quærit, quid mali commiserit furcifer? Hic filius convició exasperatus: Mene. ait, habes mater famuli locò? Cui illa: Non famuli, respondet, sed nequissimi mancipii. Siccine verò inquit ille, filium amas? Siccine verò, illa refert, tu matrem colis? Habes in hoc exemplo omnes fermè particulas, quibûs est opùs, quoties colloquia in narrationibus fieri necesse est; Advertendum tamen est, his vocibus, *ait*, *inquit*, & similibus, plerumque præmitti participia. Ut cæterùm Imperator, sicut curru eminebat, dextrâ, lævâque ad circumstantium agmina, oculos manúsque circumferens: Adeste, inquit, milites, erigite animos; victoria nostra est.

Ergo primos ordines, ùt pulchrè sedebat in equo, obequitans Alexander, simul-

ſimul ad confertos cuneos protendens manus, certandum, inquit, commilitones.

Secundum.

Præſens tempus pro præterito in narrationibus eleganter uſurpatur Ut,

Philodamus rogat Rubrium, ut quos ei commodum ſit, ad cœnam vocet. Ille ſuos familiares invitat maturè veniunt: diſcumbitur: fit ſermo inter eos, & invitatio; ut Græco more biberetur, hoſpes hortatur; utuntur majoribûs poculîs; celebratur omnium ſermone, lætitiáq; convivium.

Tertium.

Plures infinitivi ſæpè congeruntur, ſuppreſsô verbô, unde regi poſſunt; ſuppreſsîs etiam aliîs quibûſdã vocibûs, ac particulîs; ùt in hoc exemplo vidère licet, quod habet Tullius, exponens quô pactô Verres candelabrum gemmeum Regi Antiocho per fraudem eripuerit, cùm illud rogaſſet afferri domum ſuam, perſpiciendi causâ. Affertur candelabrũ a Regis domeſticis ad Verrem; qui cùm

jam satis perspexisse videretur, illi tollere incipiunt, ut referrent. Iste ait: se velle illud etiam, atque etiam considerare, nequaquam se esse satiatum; jubet illos discedere, & candelabrum relinquere: Sic illi tum inanes ad Antiochum revertuntur, Rex primò nihil metuere, nihil suspicari (subintellige, poterat:) Dies unus, alter, plures (subaudi, abeunt:) non re ert: Tum mittit Rex ad istum, si sibi videatur, ut reddat. Jubet iste postridie ad se reverti: mirum illi videri (supple incipit:)mittit iterum Non redditur. Ipse hominem appellat; rogat, ut reddat, &c.

Quænam illa ornamenta sunt, quæ in sententiis consistere dicis?

Sunt figuræ quædam nobiliores. quæ si suô ponantur locô, narrationem mirùm quantum illustrem reddant. Hæ verò ferè adhiberi solent.

Hypotyposis! Ut. inflamatus irâ egreditur domo; ardebant oculi, emicabat ab ore furor, horrebant capilli &c.

Dubitatio. Quid aget misera? quam

se in.

ſe in partem conferat? ad quem confugiat? cujus opem imploret? Patris? in vincula conjectus eſt. Fratrum? adducti ſunt in ſervitutem. Propinquorum? diffugêre omnes.

Suſpenſio. Quid deinde factum cenſetis? victam fuiſſe promiſsîs puellam? nullô modô Ceſſiſſe minis? non ceſſit. Quid igitur facere potuit columba imbellis inter ungves accipitris? Dicam, audite. Exciſam ſibi lingvam in os impudici exſpuit: quô ille telô ictus, victuſque ceſſit loco.

Communicatio. Ut, quæro à vobis, qui hæc auditis, ſi veſtræ res in eo eſſent loco quid vobis agendum eſſe cenſeretis? Fugam arriperem, inquiet aliquis nec reſiſtere auderem. At hic adoleſcens reſtitit; imo adverſariũ inermis debellavit.

Exclamatio, Filiam exturbavit nuptiali thalamô, & genero nupſit. O! mulieris ſcelus incredibile! o! libidinem inauditam! non timuiſſe hominum famam! non dedecus æternum! non furiarum ardentes tædas! &c.

CAPUT III.

De Fabulosa Narratione.

HActenus Narrationem spectavimus generatim acceptam, prout scilicet res, tam fictas, quàm veras, explicat. Cùm res sunt fictæ, Fabula dicitur; cùm veræ, Narratio propriè nuncupatur.

Quid est Fabula?

Est sermo falsus veritatem effingens; hoc est, falsa quidem, & ficta narratio est; at sub fabuloso verborum cortice veritas semper latet aliqua, & utilis sensus.

Quas appellationes vulgo sortita est?

Varias; nam modò Sybaritica, modò Cilix, modò Cypria dicitur.

Cur Sybaritica vocata quondam est?

Quod Sybaritæ, Græciæ populi, effœminati, ac molles, fabulosîs parùmque pudicîs sermonibus oblectarentur.

Cur Cilix vocata est?

Quod Cilices Asiæ populi ob corruptos mores fabularum vanitate pascerentur anilibusque commentîs, ita mendaciis assveti, ut in proverbii locum abierit: *Cilix haud facilè verum dicit.*

Qua

Quare Cypria dicta.

Propterea, quòd apud Cyprios fabulatores magno in pretio essent, & magnus fabularum usus.

Quamobrem Æsopica appellata est? Quid rogas, quod neminem latet? Quis enim nescit, Æsopum omnium ingeniosissimè scripsisse fabulas, easque teri solitas omnium manibûs, sic, ut haberetur ille olim ignarissimus, qui eas non didicisset? Ex quo etiam natum illud adagium: *Ne Æsopum quidem trivisti.*

Quot sunt genera Fabularum?

Varia: aliæ siquidem dicuntur rationales, aliæ morales, aliæ mixtæ.

Quid vocas rationales Fabulas?

Illas, quibus quidpiam fingimus ab homine dictum vel factum.

Quas dicis morales Fabulas?

Quæ valent ad hominum mores informandos, & à belluis ortæ finguntur.

Quæ vocantur mixtæ?

Quæ ex rationali, morali compactæ sunt, id est in quibus homines cum belluis sermocinari finguntur:

Cedò exemplum?

Mustela ab homine prehensa, cùm instantem necem effugere vellet: Ah! quæso, inquit, mi homo, parce, cur necare me vis, quæ tibi muribûs purgo domum? Id, respondit ille meâ causâ si præstares, ac non potiùs tuâ: gratum accideret, quod facis, veniámque darem supplici. At, quod mures occidis, ut gulæ tuæ servias, & quæ illi corroserint, consumas, vanum est quod jactas beneficium: nunc ergo morere.

Hoc sibi dictum putent, qui meritum inane prædicant, dum suis unis student emolumentis.

Quæ utilitas Fabulæ?

Multiplex: delectat enim, docet, & movet. Delectari fabulis non pueros tantùm, sed etiam viros ætate provectiores docuerunt olim Athenienses: quos cùm Demosthenes apud illos agens de magnis rebus, non haberet attentos, hôc apologo, seu parabolâ attentionem excitavit.

Asinum conduxerat adolescens. A-

thenis Megaram iturus, cumque flagrante jam meridie (æstas enim erat) calor cœpisset esse vehementior, sub asini ventrem se conjecit, ut umbram captaret. At is qui locaverat asinum, litem intendit, asserens, se asinum locâsse, non asini umbram. Hâc fabellâ excitati auditores, animos, & aures arrexerunt. Quod ubi Demosthenes vidit, illos graviter objurgare cœpit, qui de nugis audiendis soliciti, Rempublicam negligerent.

Quid docent Fabulæ?

Quâ ratione instituenda vita sit, quæ virtutes exercendæ, & quæ fugienda sunt vitia.

Movent præterea Fabulæ.

Quô exemplô id probares?

Exemplô Menenii Agrippæ, qui plebem Romanam, quæ in Sacrum Montem secesserat, ad Patrum auctoritatem, concordiamque revocavit decantatô corporis humani Apologô quem refert Livius *lib. II. primæ Decadis.*

Licetne in re seria, & sermone gravi adhibere fabulas?

Licet, ſed rarò: videndum ſiquidem, quid res, ac jocus patiatur, túncque præfari conveniet, à viris priſcis, ac ſapientiſſimis iſta non ſinè cauſa fuiſſe conficta, neq́, temerè tot jam ſæculis magnô mortalium conſensû fuiſſe celebrata: deinde quid ſibi voluerint interpretabimur in hunc modum. v. g. ut enim ſignificarent hominem avarum tam non habere, quod habet quam, quod non habet: exhibuêre nobis Tantalum quendam mediis in aquis æternâ ſiti cruciatum &c.

Quô artificiô texendæ ſunt Fabulæ?

Eôdem prorsùs, quô narrationes veræ. Debent nimirum, quod jam monui, quatuor habere virtutes, ſcilicet: brevitatem, perſpicuitatem, ſvavitatem, & probabilitatem.

Quid opùs eſt probabilitate in fabulis, in quibus nihil eſt, quod verum ſit, aut veroſimile?

Opùs eſt tamen. Etenim, quamvis probabile, credibileq́; non ſit, belluas loqui, v. g. & more hominum colloquia miſcere, idque repugnet penitùs earum

natu-

naturæ: attamen, si voce, & ratione uterentur, haud dubiè aliter vulpes loqueretur, aliter gallina: illius enim indoles subdola, tortuosa, & multiplex, hujus ingenium simplex, & rectum: aliter lupus, aliter agnus ageret, nam ille rapax, & ferox naturâ, hic contrà mitis, ac minimè malus. Itaque, si pecudibus illis, quas ratione uti fingimus, quidpiam attribueres ab earum natura abhorrens, v. g. si Mures induceres audaces, cervos lentos, columbas crudeles, benignos accipitres, & vulpes stolidas, peccares contra decorum, tuaque fabula probabilitate careret.

CAPUT III.

Exempla Narrationum, ac præsertim Fabulosarum.

Siti agnus æstuans ad rivum venit, ad quem pariter accessit lupus bibendum. Cùmque superior staret lupus, & agnus inferior, ille tamen jurgii causam captans, agnum accusat, quod turbet aquam pedibus. Hic modeste negat fieri id posse, cùm ab ipso lupo rivi unda

decur

decurreret. At maledictis, inquit lupus, me proſcidiſti ante ſex menſes. Neque id accidere potuiſſe. reſpondet agnus, cùm nondum natus eſſet id temporis. At tuus certè pater maledixit mihi, ſubjecit, ferox: atque ita correptum lacerat.

Sic adornare calumnias, & opprimere innocentem non eſt difficile.

Eadem ſtylo ornatiore.

AD rivum agnus venerat, ſitis levandæ causâ Lupus etiam huc accurrit, magis prædæ, quam potûs deſideriô, ac potiùs ſtimulante fame, quam ſiti, & agni lacerandi occaſionem aucupans. Heus inquit, audacule, non ceſſabis mihi aquam turbulentam bibenti facere lutulentis pedibûs tuis? Cui agnus: Quî poſſum, quæſo, facere quod quereris, lupe humaniſſime? vix heu primoribûs labellîs rivum attigi vix extrema libavi undam lingvâ. Mentiris, impudens, turbâſti latices, lutulenta ad me fluit aqua. Ah! quid ais, lupe nobiliſſime? Nónne vides à te decurrere liquorem ad meos hauſtus? Obmutuit hic lupus

repulſus ratione tam evidenti: ſed mox ad alia ſe vertens, novum crimen comminiſcitur. Non meminiſti, inquit, proterve, cùm ante ſex menſes maledicta in me ingereres è ſtabuli feneſtra, minas intendens tranſeunti? Bona verba, heros ſylvarum inclyte! non cohærent, quæ dicis: verbo ſit venia, nam, qui tres tantùm menſes ſum natus, qui potui ante ſex menſes tibi maledicere? atqui perinde eſt, inquit lupus, an mihi tu, tuùſve pater maledixerit, ille certe in me convicium jecit non ſemel: æquum eſt, parentis pœnas inimicus luat natus. Quò dictô, in illum inſilit, correptumque dentibûs, crudeliſſimè devorat.

Quis enim labor, innocentem ſtructîs calumniîs inſectari, & perdere? Quàm multi etiam nunc, agnis imbellibus haud abſimiles, cedunt in prædam iniquiſſimis hominibus, ùt voracibus lupis? ſpoliantur bonîs, fama exuuntur, & privantur, ſi minùs vitâ, ac vitæ commodîs!

De Corvo, & Vulpe.

CORvus raptum de feneſtra caſeum comedo

medebat, celſa reſidens arbore. Hunc cum vidiſſet vulpes, laudare cœpit pennarum nitorem, & decorem capitis, totiùſque corporis elegantiam: unam, ait, deſiderari vocem, quam ſi haberet, nullam fore alitem ipſi comparandam. At ille demens, ut oſtendat, ſibi non deeſſe vocem, & canoram quidem, ac ſvavem, dum ſe ad canendum comparat caſeum emittit roſtrô, quem celeriter doloſa vulpes avidîs arripuit dentibûs.

Eadem ſtylo comptiore

SEdebat corvus in excelſo arboris ramo, caſeum quem rapuerat è feneſtra proximæ villæ, pari aviditate, ac voluptate comedens. Hunc vidit vulpes, & invidit, ac lingvâ ſibi lingens roſtrum, jam caſeum devorabat oculîs: ſpes tamen optatô potiundi cibô affulget nulla, quamvis uſque, & uſque arborem ſolicitè circumeat, verſetque ſe in omnem partem. Ad ſolitas ſe vertit artes, dejectôque humi tergô, collum ac roſtrum erigit & aures ſimul arrigit, obtutû in corvum defixô. Advertit corvus ſpe-

culam.

culantem & crocitans: Quid aspectas, inquit, versipellis? Teipsum, respondet vulpes, te intueor, corve mi bellissime! nam hercle tuarum me pennarum splendor in admirationem rapit: nihil equidem memini me vidisse pulchrius. O! si quantùm præcedis plumarum nitore aves cæteras, tantùm præires voce! næ tu absolutus forès numeris omnibûs, nec ulla esset volucris usq; adeo temeraria; quæ auderet tecum de palma contendere: Corvus mirifice delectatus commemoratione illa laudum suarum, agit primum, ùt decuit, vulpi gratés, se tamen non destitui voce asserit, & dabo inquit, specimen simúlque cantilenam occinit, at simul caseum amittit. Quem vulpes arripiens fugit, illusô corvô turpiter, qui cantû in gemitum versô, stoliditatem cœpit suam deplorare, at sero nimis.

Sic capiuntur stolidi laudum venatores, sic inescantur inanis gloriæ vesani aucupes. Quid enim faciunt, dum præbent adulantium vocibus patulas aures? Effundunt bona, rem familiarem dilapidant,

dant, existimationem amittunt, maximèq; tum deluduntur, cùm laudantur. Quam sit misera sors divitiarum Horatius summus dicendi, jocandique artifex, bellissima fabella explicat *Libri II.* Satyrâ, sextà, ubi facit rusticum murem ab urbano mure lautô acceptum in opulentis ædibus conviviô fuisse. In mediis epulis auditum ingens à molossis canibus, à famulis conclavia reserantibus, murmur trepidâsse mures, & in latebras se conjecisse. Illas rusticus mus, ædiû ignarus, ægrè invenit: & post discussum periculum a metu se colligens, vale, inquit, malo meam cum securitate inopiâ, quàm tuam hanc cum tanto timore, & solicitudine copiam. Fabellam solûtâ numeris oratione totam hìc dabo.

Si quis, inquit Horatius, Arellium felicem eo nomine, quòd affluat divitiis, fortèprædicet, ignarus nimirum quantis, illæ molestiarum, curarúmque spinis obsitæ sint, hac fabûlâ continuò illum Cervius familiaris meus dedocet. Ajunt, urbanum murem à rustico mure veteri amico

mico adhibitum olim fuisse ad conviviũ in angusto, & exili tecto Erat ille quidem agrestis mus antiquæ parsimoniæ, nec solitus profundere temerè, quæ multo labore collegerat, ita tamen, ut, cùm aspiceret hospites, non parìm de illa sua frugalitate, ac morum asperitate remitteret. Igitur nec ciceri, quod servatum in reconditiori cavo habebat, nec avenæ pepercit- ut amico benè esset. Quin uvas siccas, & laridi corrosa frustula apponebat, id maximè laborans, ut ferculorum varietate fastidium levaret hospitis delicati ac superbi, qui dapes singulas summîs dentibûs vix attingebat Cùm interim herus ipse structorque convivii jacens in recenti stramine, comederet frumenti grana, loliumque, cibos exquisitiores hospiti suo relinquens. Ille tam agrestis pertæsus mensæ: Quorsum, ait, infelicem vitam in hoc montis clivo tam diu vivis? Nónne tibi videtur satius, homines feris, urbem nemori anteferre? Audì me, quæso, & mecum perge: siquidem, quæcunque nascuntur in

terris animalia, mortalem animam acceperunt à natura, nec mortem sive summis, sive infimis licet effugere. Quocirca, dum fas est, amice, genio indulge, & ita vive, ut sæpè memineris, breve tibi vivendi spatium esse concessum. Hac oratione permotus agrestis mus, erumpit alacer domò: ambo dant se in viam, urbémque noctu clam subire meditantur. Jam nox dimidium cæli spatium confecerat, cùm ineunt amplam, & locupletem domum, ubi lecti ex ebore purissimo elaborati coccineis nitebant stragulis, multæ dapes ex ingenti cœna relictæ servabantur in corbes pridie congestæ. Igitur mus urbanus, postquam rusticum murem in purpureo torali collocavit, huc ipse concursat instar servi ad ministrandum præcincti, & alios aliis aggerit cibos; partes omnes, & numeros vernarum ministrantium implet, atque, ut nihil nisi latum, apponat hospiti singula prægustat, delibatque. Agrestis mus tam opimæ accumbens mensæ triumphat gaudiô, conditionem

onem suam in melius mutatam sibi gratulatur ac felici fortuna fruens, vultû ipsô lætitiam, & hilaritatem, quam boni convivæ solent, præfert. At ecce aperiri ibi magno cum strepitu fores; exilit uterque lectô, ac per totum cubiculum trepidus discurrit: auctus majorem in modum est pavor, ubi canes latratu multô amplam domum implevêre. Tum verò mus agrestis urbanum ita compellare cœpit: Valeas cum ista tua vita, nihil habet illa, quod me juvet, placet mihi mea sylva, meus cavus, ibi oleribus quidem parcè, ac duriter vivam, at facilê me consolabitur animi tranquillitas, quam nullæ insidiæ, nulli metus perturbabunt.

Non est, quòd chartam occupemus coacervandîs fabularum exemplîs. Pulcherrima dabit Phædrus, cujus in versiculis lucet nativus quidam Latini sermonis lepos, aureô Augusti sæculô dignissimus. Dabit Ovidius in Metamorphosibus, quas brevì, & accuratô commentariô nuper illustratas, & repurgatas ha-

tas habes. Quid lepidius, & concinnius illâ cœnâ, quâ Jovem excipiunt Philemon, & Baucis, in arbores postea mutati? (*lib.* 8. §. 15.) Quis asininas Midæ aûres non ridet? (*lib.* 11, §. 5. 6. 7.) aut rusticos in ranas versos non videtur audire coaxantes! (*lib.* 6. § 8.) aut picas garrientes? (*lib.* 5. §. 9. 17.)

Addam his narrationibus unam, si non fabulosam, at fabulosæ proximam, quam tamen, sunt, qui veram esse defendant.

Opifex in *Belgio* quotidie à summo manè potabat usque ad vesperam: vinô madidus redibat domum, uxorem, lîberósque malè multabat pugnis, & calcibûs. Illa diutiùs ferre non valens ebriosum conjugem statuit vinô sepultum collocare in feretro, involutum lintêo funebri. Id cùm fecisset, lugere cœpit quasi mortuum, ejus lamentis exciti vicini confluunt ad ejus domum. Interim ebrius, planctû increbrescente, excitatur à somno: miratur lacrymas uxoris, ac fascias sepulchrales: quærit causâm: audit, se merô extinctum, nunc

Dei

Dei beneficiô singulari redire postlimi-nio in vitam. Attonitus ille, pessimo liquori inimicitias denunciat immortales, promittitque se nunquam vinum deinceps gustaturum, & fecit, quod in se receperat.

Eadem Narratio stylô paulò venustiore

FOeminæ cuidam Belgicæ maritus fuit, egregius in paucis potator, totô famosus oppidô: dies integros pergræcando, postquam in cauponis consumpserat, inclinante in vesperam die, solebat titubante gressu reverti domum. Vix attigerat limen, canere receptui uxor cum liberis, abdere se in latebras, expectare, dum temulentus crapulam edormiret, alioquin in ejus os ille involare, pugnis, calcibûsque miseram contundere, quid quid veniret in manus, impingere in obvios, denique pervertere mensas, abacos, omnia. Hoc diu cùm tulisset uxor patientissima, nihilque non experta esset, quò virum avocaret à fœdissima potandi consvetudine, statuit demum, ad ultimum

mum descendere remedium, & hanc, quod ajunt, quasi sacram anchoram jacere. Venerat ille aliquando è popina domum, crapulæ plenior solitò, & sui planè impos: id ubi advertit cauta mulier, in occasionē rei gerendæ intenta, excubat eminus de more latens, donec obdormiscat ebrius. Ut videt prostratum, & ronchos jam edentem audit, derepente advolat, fascias expedit manus ligat, pedésque; tum sudario caput implicat, & corpus linteô involvit sepulchrali, componítque in sandapila, quasi mox efferendum ad sepulturam. Dein compositô ad mœstitiam vultû conclamat mortuum: lamentis ædes personant, accurrunt vicini, fit gemitus, & comploratio: audit plorantes ebrius, attollitque caput, cunctis obstupescentibûs: uxor lætitiam, parì stupore simulatô, conjunctam præseferens, in feretrū ruit exultans, dissolvit linteū sudarium detrahit, fascias exsolvit: & quærenti marito causam, respondet, ad exequias confluxisse, quos videbat cives optimos,
vino

vinô ipsi ereptam fuisse cum mente vitam, sed inaudito miraculô rediisse ab inferis. Credit vir scitè mentienti fœminæ, & vinum execratus, jurat, per quidquid factum est, abst mium se reliquo vitæ tempore ad veram usque mortem fore: & verò fuit, quòad vixit.

Stylo magis oratorio.

Matrona prudens, & honesta maritum habuit in Belgio, cùm multis vitiis infamem, cum verò temulentiâ insignem. Quid non egit mulier cordata, vecordem ut virum ad sanitatem revocaret? quas non intendit machinas? quam industriam non adhibuit? Sed nimirum corroborata erat longô usû insana perpotandi cupiditas, altioréfque egerat in ejus animo radices turpissima consvetudo, quàm ut evelli ratione ulla, aut pudore posset. Convolabat quotidie, simul ac evigilârat, in popinas. Quoties, marsupio non sufficiente gulæ, cauponâ abiît expalliatus, atque etiam penè exossatus pugnîs, probrîsque? Quoties inter redeundum (si hoc est re-

dire paſsû labi, & relabi quôlibet, offenſantem altero quoque paſſu, & in tabernas, ac parietes impingentem) proſecuta eſt caterva puerorum ſibilis, conviciis, lutô? Sed enim acceptas foris injurias intùs ulciſci ſolitus, ùt primùm attingebat limen ædium, horrendùm illicò vociferari; adeſſent famuli, adeſſet conjux. Illi contrà latebras aucupari, delitefcere, trepidare. Si quem occupâſſet incautum, ſternebat humi, & quà pugnô, quà fuſte, pulſabat mirî modîs miſerum. Quid ageret mater familias? quò ſe verteret? flebit? obſecrabit? iraſcetur? minabitur? Horum nihil omiſit; verùm fruſtra fuêre omnia. Quid ergo facit? Accipite: audax comminiſcitur factum. Jacebat ille aliquando vinô obrutus, oppreſſus ſopore, quem nullus tonitrui fragor excitaret. Occaſionem arripiens mulier accedit, ac manum utramq; primùm, tum pedes ſtringit fune valido, ſudario poſtea obnubit caput, totúmque circumvolvit corpus ſepulchrali linteo
tum

tum deinde ſtertentem parato collocat in feretro, & hinc, & inde tædas accendit. Illico mortuum conclamat conjugem; lacrymæ, ùt ſolent fæminis, juſtæ fluunt ubertim, & ſinum rigant; tum capillos vellens, ac vocem tollens flebilem in modum: Mi marite, inquit, heu! mi marite, ſic me orbam, & afflictam æternùm deſeris? ſiccine repentina morte raptus obiiſti? Confluit interea omnis vicinia, ægram ſolantur; nec deſunt, qui bonas preces pro defuncto fundant, proni in genua. At ecce: dum hi lugent, illi plangunt, miſerantur alii, excitatus incondito clamore nebulo, ronchum ingentem imò emittit pectore; tum movat caput, tibiaſque vinctas agitat. Hìc omnes ſtupere, exclamare; rediiſſe in corpus animum, defunctum revixiſſe. Uxor, quæ vix tenebat riſum inter lachrymas; vivum lugens, quem vellet mortuum, vero dolore verſo in fictum gaudium, ad feretrum accedens: O! mi vir! inclamat quàm maxima voce poteſt. Audit

ille, recluditq; oculos, perque linteum lucem videns malignam, brachia, & pedes gravi nodô revinctos sentit. Quid cogitâsse arbitramini vivum cadaver, plorantes, gementes, ululantes audiens, funebremque apparatum intuens! penè mortuum e vivo fecit horror ſtupori mixtus: trepidat, ſe tantillùm movere, tacitúſque audit lugentem conjugem. Siccine, inquiebat verſipellis, æternis ignibus addictus es, marite optime? O! ſi vel ante mortem expiâſſes animum, tot, támque inſanîs compotationibûs inquinatum! Hæc immotus audit miſer, tandémq; ſuſurro ſemimortuo ſucclamat. Fingit uxor metum gaudio mixtum: &, vivis, exclamat, charum caput, vivis? Vivo, inquit ille, redux à lethi, & Tartari faucibus. Reduxne ab Orco? Redux, o! chara conjux: expedi, ah quæſo! vincula expedi. Vix funeſtîs extricârat faſciîs brachia, & ſudariô caput; tum ille ad aſtra tendens manus, vovet altâ voce ſolemne votum, per omnem vitam vinum ſe nunquam nè pri-

nè primoribûs quidem labrîs libaturum: & ſtetit promiſſis ſiccam in poſterum vitam ad veram uſque mortem exigens.

Narrationum exempla luculenta ſubminiſtrabit Cicero, in orationibus contra Verrem, pro Cluentio, pro Milone, &c. in libris de Officiis, de Oratore, de Divinatione. Dabit non pauca Horatius; nec invenuſta *lib. 1. Sat. 5.* ubi ſuum Iter Româ Brunduſium uſque deſcribit: & *Sat. 19.* ubi narrat, quantam ſibi moleſtiam garrulus exhibuerit: & *lib. 2. Sat. 8.* ubi cœnam inſulſam ſalsè pingit.



PROGYMNASMA II.
DE CHRIA.
CAPUT I.
Quid ſit Chria, & quotuplex.

QUid eſt Chria? *Reſp.* Eſt utilis quædam expoſitiô, ſeu explicatio facti alicujus, vel dicti, vel utriuſque ſimul, certîs capitibûs comprehenſa.

Quare hoc genus Amplificationis Chria dicitur?

Quod vocabulum hoc: *Chria*, usum, sive utilitatem significat: unde à nonnullis, *Usus* appellatur.

Quotduplex est Chria?

Triplex. Alia est activa, alia verbalis, alia mixta.

Quid est Chria activa?

Illa est, quæ actionem, seu factum aliquod exponit, & exornat.

Da exemplum.

Lacedæmonii suis ut liberis ebrietatis odium, horroremque ingererent, adducere illos soliti erant in conspectum servorum, qui vinô se obruissent; nimirum, ut fœdô illô spectaculô deterrerentur ab hoc vitio.

Tarquinius superbus, septimus Romanorum Rex, legato, quem ipsi filius miserat sciscitatum, quidnam se facere vellet in urbe Gabiis, ad eam redigendam in patris ditionem, nihil respondit; sed in hortum ædium transiit, sequente Nuntio, & responsum expectante, ibique

que inambulans, tacitus summa papaverum capita baculô decussit: ex quo filius intellexit, primores urbis interimendos esse; quod brevì præstitit: sic urbs tota in Tarquinii ditionē concessit.

Quid est Chria verbalis?

Illa est, quæ verba prudenter ab aliquo prolata explicat.

Da exemplum.

1. Difficiliùs est imperata facere, quàm imperare facienda. 2. Pro focis interdum pugnatur acriùs, quàm pro Aris. 3. A summo declinantibus facilis est ad infima & prærupta quæque casus. 4. Non est in ejusdem manu ignem injicere, & injecto spatium, modumque statuere. 5. Sparsa in commune gratia ab omnibus accipitur, à nemine redditur.

Quid est Chria mixta?

Ea est, quæ factum quodpiam sermone conjunctum complectitur.

Da exemplum.

Diogenes, cùm puerum vidisset petulanter, & immodestè se gerentem;

ejus Pædagogum fuste percussit, adjiciens verberibus verba hæc: Siccine puerum hunc tuæ curæ commissum instituis?

Scytharum Rex octoginta filios moriturus cùm advocâsset, jaculorum fascem singulis frangendum porrexit: sed frustra; quis enim tot jacula simul collecta frangeret? Ipse verò tela singula seorsim eximens, nullo labore fregit, factoque monitum præclarum addidit: Quamdiu, inquit, vos conjunget mutuus amor, tamdiu incolumes, invictique eritis; at si qua dissensio vos segregabit, ac distrahet, vincemini facilè.

CAPUT II.

Chriæ Partes.

QUænam sunt illæ partes, seu capita, ex quibus Chria componitur?

Octo ista: Encomium, Paraphrasis, Causa, Contrarium, Simile, Exemplum, Testimonium veterum, Epilogus.

Quid sibi vult illa vox, *Encomium*?

Inchoandam esse Chriam ab illius laude, qui vel dictum protulit, vel edidit factum illud, quod Chriæ materiam præbet.

Quid

Quid significat illa vox, *Paraphrasis*?

Idem, ac si diceres, expositio facti, seu dicti, quod per Chriam suscepimus amplificandum. Paraphrasis enim nihil aliud est Latinè, quàm liberior interpretatio, & dilucidior explicatio dicti cujuspiam.

Quid sibi vult illa vox, *Causa*?

Afferendam esse causam aliquam argumenti, quod pertractabimus: v.g. in hac sententia, *Pecuniæ obediunt omnia*: quærendum esse, cur omnia obediant pecuniæ, tanquam dominæ. Et hæc præ cæteris occurret causa; quòd pecuniæ usus ad omnia sit ferè necessarius.

Quid illa vox, *Contrarium*?

Significat à contrariis rebus confirmandum esse, quod probandum nobis est: Exempli causâ; Quemadmodum pecuniæ obediunt omnia, id est, sicut opulenti in cæteros imperium exercent, videnturque adepti licentiam omnium rerum; è contrario egeni jacent, contemnuntur, aliorum voluntatibus coguntur obsequi.

Quid sibi vult ista vox, *Simile?*

Illustrandam esse docet propositam sententiam similitudine quapiam: ùt, quemadmodum Regi famulantur subditi, & ab illius nutu cuncti pendent, ita pecuniæ obediunt omnia.

Quid ista, *Exemplum?*

Monet, exemplum adducendum esse ad stabiliendum, quod intendimus: Ut, si dicam ad confirmationem allatæ sententiæ; Cæsarem pecuniarum largitionibûs vitam sibi muniisse ad totum orbis imperium occupandum.

Quid *Testimonium Veterum?*

Ostendit scriptoris cujusdam veteris authoritate confirmandam esse propositam Chriæ sententiam, v.g. dicam idem sensisse Virgilium, cùm pecuniæ summam potentiam admiratus, exclamavit in hæc verba:

Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?

Qid denique sibi vult *brevis Epilogus?*

Indicat, quæcunque dicta sunt, brevi, aptâque verborum comprehensione concludenda esse.

CA-

CAPUT III.

De primo Chriæ Capite.

QUam ob causam Chriam auspicamur à laude auctoris sententiæ vel actionis, amplificandam?

Quia, quò major est loquentis, aut agentis auctoritas, eò majoris sunt ponderis ejus, seu dicta, seu facta. Ut ergo sententia, aut actio explicanda non fidem solùm apud auditores, se quandam sibi venerationem conciliet, præmittenda est laus auctoris.

Qua ratione laudandus est auctor?

Duplex hujus rei cautio est. Prima, ut laudes sint veræ: nam laudem, quâ quis caret, ipsi tribuere, non est laudare sed illudere. Licebit tamen, quod ait Cicero hoc genere, largiri nonnunquam plusculum etiam, quàm concedit veritas, & adhibere figuram, quam vocamus Hyperbolen, sive Auxesin, sed modestam. Secunda cautio, ut propriæ sint laudes, eique convenientes, cui adscribuntur. Sic Pòëta non est laudādus à robore viriũ, sed ab ingenio,

nec Imperator à ſvavitate vocis; ſed à fortitudine ac ſcientia militari.

Quaſdam mihi hoc loco ideas exordiendæ Chriæ, quæſo, trade.

Faciam, eoque libentiùs, quòd me non lateat, nullam ferme rem eſſe in hoc genere, quæ tyronum animos moleſtiùs exerceat, quàm iſta Chriarum exordia. Cùm enim in iis dicti, vel facti cujuſpiam laudandus ſit auctor, ùt nunc monebamus, ubi tritum illud, ac puerile, *Meritò laudandus eſt Iſocrates*, præcinuerint, continuò hæret illis aqua, nihilque occurrit, quod adjiciant. Cui ego incommodo ut occurram, eorumque hac in parte moleſtiam utcumque levem, varia exordiorum exempla ſubjicio, è variis petita Rhetoricæ locis, ac figuris, ad quorum imitationem ſimilia ipſi condiſcant, aut etiam meliora, effingere.

In Ciceronis laudem.

A Definitionibus conglobatis.

CIceronem, quem meritò appellare poſſumus ſupremum Fori Regem, trium;

triumphatorem animorum invictissimū, Rhetoricæ decus, ornamentum, alumnum, aut Parentē potiùs Eloquentiæ, Latinæq; facundiæ fontem, dicere solitum accepimus: *Præter culpam, & peccatum homini accidere nihil posse, quod sit horribile, aut pertimescendum.* Quô quid præclarius, quid ab homine sapientissimo verius dici potuit?

Expendamus, amabo, verba singula divinæ sententiæ: Itane verò? Marce Tulli, nihil pertimescendum esse ais præter culpam? Quid? non est pertimescenda ipsa bonorum jactura? ipsa mors, &c.

In Virgilii laudem.

A partium enumeratione, per concessionem.

LAudent alii, per me licet, in Poëtarum Latinorum Principe doctrinam non vulgarem, modestiam, & auræ popularis contemptum, castimoniam, & pudorem, quo sordes, & obscœnitatem Ethnicis Poëtis familiarem fugit; ego prudentiam in scribendo, & sapientiam demiror; quæ cùm in multis ejus car-

mnibus elucet, tum verò, cùm ait: *Una salus victis nullam sperare salutem.*

Enucleemus hoc mysterium; cujus sensum prorsùs dicas carere sensû, si parùm tibi perspecta fuerit Poëtæ mens. Quid enimverò, inquies, ut saluti suæ consulat, qui ab hoste devictus est, ei speranda nulla est salus? Ita planè, nulla speranda est: cùm enim nullum sibi superesse viderit salutis consequendæ locum, quid non aget? quas strages non edet, ut se expediat, &c.

In laudem Aristotelis.

A notatione nominis.

NOn sinè divino consilio factum putem, quòd Principi Philosophorum Aristotelis fuerit impositum nomen. Quid enim sonat *Aristos*, nempe optimum! Quid *Telos*, nisi summum, nisi perfectum, absolutumque significat? Fuit nimirum id nominis absolutissimæ laudis quasi prænuntium, quâ vir ille summis sic excelluit, ut in ipsius mente sapientia videretur fixisse sedem, aut certè donô quôdam Providentiæ crede-

retur

retur esse progenitus; in cujus animo artes omnes optimæ, ac liberales disciplinæ vires suas ostentarent adeò, ut statutam humanæ menti metam ingenii celeritate longè, multùmque superâsse visus sit. Talis, ac tantus vir, audite, quid aliquando in commendationem literarum responderit: rogatus enim, quô differrent docti ab indoctis, *quô*, inquit, *viventes à mortuis.*

O! dignum Aristotele responsum! o! mortalium omnium sapientissimo digna vox! Hos tu vivere putas, qui omnis eruditionis expertes, in summa optimarum artium ignoratione versantur? Hos inquam, vivere tu putas, quia sentiunt, quia loquantur, quia cæterorum more usurâ lucis fruuntur, erras, hæc vita non est, &c.

In Senecæ laudem.

A genere, & forma.

MAgnam quidem, meritamq; laudem sibi sapientissimus Romanorum Seneca peperit, cùm plurimis præclarè factis, tum verò æquabili vitæ moderatione.

one, quam non minùs in adversis, ac in secundis rebus adhibuit; majori tamen luce gloriæ, nomen illustravit suum clarissimîs ingenii monumentîs, quæ transmisit ad posteros, tam gravibûs ornata sententiîs, ut, quamvis cæteræ animi laudes abfuissent, hæc tanti viri famam ad sempiternam temporis memoriam propagatura facilè fuisset. Illum adeò non loqui diceres, sed oracula fundere; non scribere, sed leges ferre. At quàm argutas, Superi! quàm exquisitas, quàm reconditas! Unam de omnibus, vultis, explanemus? Accipite, quàm scitè perversam hominum in carpendis aliorum factis consvetudinem carpat ipse, atque reprehendat. *Aliena vitia*, inquit; *in oculis habemus, nostra à tergo sunt.*

Planè ita se res habet: gerimus, quod ajebat alius ille, manticam humero impositam; in illius anticam partem aliena peccata, in posticam propria immittimus; ut nostra hæc nunquam inspiciamus, illa contrà semper observentur oculis, &c.

In Cæ-

In Cæsaris laudem.

A comparatione, & contrario.

ETsi non satis dictû proclive, plerique putent, plúsne lingvâ Cæsar valuerit, quàm manû, stilóne fuerit, quàm pilô, scriptîs quàm factîs, commentariîs, quàm victoriîs, dicendi, quàm bellandi arte præstantior: in ea ego tamen opinione sum, ut existimem, illum militare decus obscurâsse scribendi gloriâ, victoriásque vicisse suas dicendi laude, ingeniique pernicitate non modò assecutum esse magnitudinem animi, bellicamque fortitudinem, ac felicitatem, verùm etiam longè, multùmque superâsse? Quis neget, ipsum egregia, quæ armatus gessit, facinora dedecorâsse populorum infinita clade? palmas, quas messuit, miserorum rigâsse sangvine? captarum direptione urbium, ac provinciarum suam amplificâsse dignitatem, & per aliena damna, stragésque publicas, quasi per gradus, supremum conscendisse gloriæ fastigium? At verò ingenii victoriæ, quas retulit, elo-

quentiæ triumphi, quos egit, eruditionis trophæa, quæ consecravit, non modò nemini perniciem, sed etiam summam utilitatem posteris; ipsique Cæsari immortalem nominis famam pepererunt. Æstimate, quæ de illo dixi, dicique possunt, unius hujus consideratione sententiæ, & ex ungve, ut ajunt, leonem cognoscite. *Nihil*, inquit, *Imperator faciat libentiùs, quàm supplicibus ignoscere.*

Audite, Duces, Legati, Tribuni militum, Imperatores, audite Cæsarem, Imperatorum omnium Ducem, ac Regem, militaris officii jura describentem: ex eo discite, quid vobis sit libentiùs in bello faciendum, si palmas, si victorias meritò celebrandas ambitis. Nihil, inquit, &c.

In Q. Curtii laudem.

A Simili.

TErenti mihi, ac sæpenumero legenti Q. Curtii commentarios, deambulare videor in horto quodam ornatissimo inter pictas areolarum amænitates,

tates, pervenuſtîs diſtinctas floſculîs, quorum odore incitari me undecumque ſentio, jucundiſſimèque compelli, ut illum legam potiùs, ut iſtum alium priùs decerpam. Haud abſimili ratione hiſtoriam dum lego Curtii, quaſi laborat animus, mira ſententiarum varietate blandè pellectus, ac veluti diſtractus, quibus pulcherrimè collucet tota, venuſtiſſimèque diſtingvitur. Una tamen præ cunctis arridet, quam modò paulò curioſiùs; ceu florem eximium, placet olfacere, attentiùſque contemplari. *Nihil*, inquit, *tam altum natura conſtituit, quò virtus non poſſit eniti.*

Quid enim tam ſublime, arduumq; eſſe, aut fingi poteſt, quò virtute inſtructus homo aſpirare non poſſit, atque pertingere? quæ difficultates objicientur, quas non perrumpat? qui opponentur obices, quos non disjiciat? quæ impedimentorum moles, quas non evertat?

In lau-

In laudem Severini Boëtii.

Ab Effectis.

QUalis, quantúsque fuerit, quàm eximiè cumulatus omni genere laudum Severinus Boëtius, quâ valuerit apud Reges gratiâ, quàm excellenti fuerit in DEUM fide, quantâ publicam rem administrârit sapientiâ, quanta lingvarum omnium cognitione floruerit, quos in lucem libros ediderit, quæ virtutem monumenta reliquerit, quas pertulerit ærumnas innocens, quæ vincula; quos cruciatus, quàm crudelem, acerbámque mortem pro Catholicæ Religionis defensione tolerârit, si oratione recensere mihi esset animus, haud aliud profectò mihi faciendum putarem, ac malè feriatus ille, qui solem ipsum illustrare malignâ candelæ luce moliretur. Unum duntaxat admiremur ex illo laudum sole radium; ipsius facta taceamus, dicta volvamus animô, hancq; præcipuè dignam sæculorum omnium admiratione sententiam. *Infeliciores sunt*, inquit, *qui faciunt, quàm, qui patiuntur injuriam.*

Quis

Quis hoc credat, qui alios conviciis violant, injuriis afficiunt, iis ipsis esse miseriores, quos vexant.

In laudem Sancti Hieronymi.

Per congeriem sententiarum.

EXimia quidem admirandi ingenii vis, ac Doctrina, quâ celeberrimum Ecclesiæ Doctorem Hieronymum floruisse constat, laudem, ac venerationem meretur summam. Illius eruditionem, cumulatamque lingvarum omnium notitiam, omnium ingenuarum artium cognitionem perfectissimam, quâ excelluit, nemo dignè satìs prædicet. Nulla mihi tamen ex innumeris, quæ illum commendavêre, animi dotibus sublimior videtur, quàm inusitata illa sapientiæ virtus, tùm in omni ejus vita eminens, tum præcipuè in sententiarum majestate, quibûs ea, quæ nobis tradidit, doctrinæ monumenta pereruditè illustravit. Quæ ne quis magnificentiùs à me dicta, quàm veriùs forsan existimet, placet ex iis unam proferre in medium, omnibúsque mirandam pro-

pone-

ponere. *Sola, inquit, libertas est non servire peccatis.*

Quid igitur, Doctorum maxime, qui sui juris est, & pro arbitrio cuncta gerit, is non est liber? Non est liber. Qui nihil coactus, nihil necessitate compulsus, sed sponte agit omnia, eum tu non dices liberum? Non dicam liberum, &c.

In laudem Sancti Ambrosii,

Per interrogationem, & auxesin.

QUæ lingva usque adeò soluta, & eloquens, quæ tam diserta, volubilisq; dicendi facultas, quod orationis genus tam expolitum perfectumque, vel minimam laudum particulam, aut verbis exequatur, aut enumerando recenseat, quas Ambrosius illustri sanctimoniæ famâ ingeniíque magnitudine sibi comparavit? Deficiunt me certè verba, quoties eximia ipsius, quæ transmisit ad posteros, eruditionis ornamenta pervolvens, sententiarum, quas, cùm viveret, pleno profudit ore, consignavitque deinde literis, varietatem, atque maje-

majestatem attenta cogitatione perpendo. Attamen omnium illa mihi semper est visa longè præclarissima, & ad morum informationem inprimis utilis, ac pernecessaria, quam hîs verbîs adumbravit? *Luxuria seminarium, & origo est omnium vitiorum.*

Si quis ergo omnia profligare vitia cupit, indicat qui luxuriæ bellum, immortales capitali huic vitio inimicitias denuntiet, &c.

In laudem Diogenis.

Per congeriem, & antitheses.

POtuítne egentissimus, & simul locupletissimus ille rerum humanarum contemptor, calcator ille fastûs, & arrogantiæ, ridiculus ille, admirabilisque Philosophus, ac derisor Diogenes, potuitne, inquam, quidquam proferre verius, vel ingeniosius, quàm, cùm interroganti cuipiam, *quodnam sibi videretur sustinere terra gravius onus? indoctum hominem*, respondit.

Laus

Laus Senecæ.

Per Antonomasiam.

QUàm ſapienter clariſſimum Hiſpani Parnaſſi lumen, & ornamentum Seneca, ingenii ſubtilitate nulli ſecundus, ſententiarum gravitate inferior nemini, verum, ac mirabile hoc effatum pronuntiavit: *Qui non vetat peccare, cùm poſſit, jubet.*

Laus Salluſtii.

Per Exclamationem.

QUoties Salluſtii, Hiſtoricorum omnium, meô quidem judiciô, facilè principis, dignos æterna luce commentarios evolvo manibûs, oculîs perluſtro, mente, animóque conſidéro, continere me non poſſum, quin admirabundus exclamem: O! virum omnium literarum laude celebrandum! o! ſempiterna dignum commendatione ingenium! quàm prudenter digeſſit omnia! quàm graviter, cùm cætera, tum verò hanc ſententiam protulit! *Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt; neq; bona eorum, neque mala in occulto eſſe patitur.*

Laus

Laus Quintiliani.

Per Repetitionem.

NOn sinè causa magnus ille, sapientissimúsque declamator, & Rhetorum Magister Quintilianus ob ingeniũ, eruditionemque celebratur. Quis enim illo in laudando comptior? quis in vituperando acrior? quis subtilior in edisserendo? quis ornatior in verbis? quis argutior in sententiis? Mihi verò acutior nunquam visus est, ac pressior: quàm cùm dixit: *Satìs divitiarum esse, nihil velle amplius.*

Laus Theophrasti.

Per Apostrophen.

QUem ad finem illud semper in ore habebas, divinâ vir facundiâ, Theophraste, magni Magistri Aristotelis discipule maxime, qui ad eam dicendi laudem effloruisti, ut meritò à Cicerone Philosophorum eruditissimus & elegantissimus fueris appellatus? Quid erat, quòd crebrò usurpare hoc illustre dictũ solitus esses? *Sumptus pretiosissimus, tempus*

est: cùm illud tamen in nugis, quodque gravius est, in vitiis, criminibusque plerique consumant.

Laus Demosthenis.

Per Sustentationem.

DOleo, inquiebat aliquando Demosthenes. Quid doles, Eloquentiæ parens, & artifex, qui omnes, quotquot ante, vel post te fluêre, dicendi gloriâ, orationis vî, sublimitate, impetû, cultû, compositione superâsti? quid doles? inquam? quòd votis fortuna tuis parùm obsecundet? quòd morbus te aliquis, aut ægritudo mentis invaserit? *Doleo, quòd antelucanâ opificum industriâ sæpè victus sum.* O! contentionem admirabilem! Dolet Orator ille præstantissimus, quòd major sit, quàm sua, opificum diligentia, &c.

CAPUT IV.

De secundo Chriæ capite, Paraphrasi.

HÆ Paraphrasis aliud nihil est, quàm uberior expositio sententiæ, ac dilatatio. Dilatari autem eô modô sententia quælibet potest, quô Periodum amplifi-

eandem esse docuimus. *Parte 2.* Sæpè sufficit singulas propositæ sententiæ voces explicare: ùt si dicas, *Omnia amicis communia sunt.* *Omnia*; opes, honores, adversa, prospera. *Amicis*; Nempe illis, qui non oretenus duntaxat, sed ipsâ re inter se amant, &c. Hæc ita explicata involve aliquâ figurâ, Paraphrasim habebis: exempli causâ, O! vim amicitiæ mirabilem! quæ, si quos inter se non tecti solùm, aut patriæ communione, utilitatis, aut commodi causâ sed animorum svavissima consensione junxit, illis omnia facit esse communia. (Tum per subjectionem ita perge:) quid enim amicus possidet, quod non communicet sponte cum amico? opes? at eas prolixè largitur. Honores? &c.

Placet amplificare alteram hanc sententiam?

Audaces fortuna juvat.

TErnæ illæ voces similiter exponendæ sunt haud absimili ratione.

Primam vocem explicabis per subjectionem crebrâ repetitione mistam, per Isocolon, &c.

Audaces.

QUi sunt audaces? Sunt, qui periculis non terrentur, qui discrimini objiciunt caput, qui nec vulnera, nec mortem exhorrent; quos nullus timor dejicit, nullus adversæ fortunæ casus remoratur; qui stimulati præclara gloriæ cupidine, si committendum prælium est, primi se in confertos hostium cuneos immittunt: si vî expugnanda mœnia, scalas admovent, primi in hostica transiliunt castra; qui vulnerati non recedunt locô, deserti non respiciunt fugam, prostrati non concidunt animo. Tales si nacta fuerit.

Fortuna.

DEa illa, tametsi cœca, inconstans, dubia semper, ac varia, quantumvis perfida, &, ùt ait Lyricorum vatum Princeps ludum insolentem ludere pertinax: tamen illos.

Juvat.

IN periculis tutos, armîs invictos, malîs nullîs fractos tuetur, defendit, protegit, obices amovet, labores levat,

eis

eis iter ad victoriam sternit, coronas, & immortalis gloriæ triumphos adornat.

Unum adhuc sumamus exemplum.

Donec eris felix, multos numerabis amicos.

SEntentia hæc duobus tantùm constat membris. I. Donec eris felix. II. Multos amicos numerabis. Sic autem utrumq; diffundam, quærendo quidem, quid sit esse felicem; denique, quid sit numerare multos amicos.

Donec eris felix.

ESse felicem, est 1 Fortunâ uti prosperâ. 2. Opes amplas possidere. 3. Honores, ac dignitates obtinere. Hôc igitur modô illud exponet per synonymorum congeriem.

Quamdiu fortuna respondebit optatis tuis, votîsque suffragabitur, quamdiu tibi fluent ad arbitrium omnia, dum opibûs, honoribûs, & reliquîs vitæ commodîs afflues, dum superba domus, &c.

Multos numerabis amicos.

INnumeros invenies, qui se tibi addictos, obstrictósq; profiteantur, qui sin-

gulare suum polliceantur studium in omni genere officii, quod gloriam, & ad rem tuam spectet, qui palam prædicent, nullum pro te laborem, nullum se onus recusaturos, qui, quæcumque tibi grata esse viderint, omni curâ, ac diligentiâ complectantur. Occurrent tibi frequentes, cùm descendes in publicum, deducent te, stipabunt latus, honorificè te verbis excipient, salutabunt comiter, amplectentur, venerabuntur.

CAPUT V.

Transitiones ad connectendas Chriæ partes.

SUbjungo jam communes quasdam transitionum formulas, quibus singula Chriæ capita copulentur inter se. Monuimus transitiones hujusmodi vix sub artis præcepta cadere, sed ab ipso, quod tractatur, argumento deduci naturaliter, non tamen sinè dicentis, aut scribentis solertia. Ne quid autem hac etiam in re desideres, nonnullas attexam, quæ omni ferme argumento convenire possint. Sumamus hanc sententiam exempli gratiâ.

Ardua est ad virtutem via.

Transitiones à Paraphrastico ad causam

SI hujusce rei causam ex me quæras, dicam: arduam idcirco, ac difficilem esse viam virtutis, quòd, &c.

Rogas, undenam hæc difficultas oriatur? At nescis, non aliam assignari causam p. sse, quàm, quòd, &c.

Sciscitaris ex me causam hujus difficultatis? Accipe. Ideo mihi videtur via illa difficilis, quòd, &c.

Nec mirum est, virtutis iter plenum esse laboris, ac molestiæ; nam, &c.

Sed quid miramur, quòd via ad virtutem ducens, tam incommoda, & adeò impedita sit? etenim, &c.

Atque hæc hujus difficultatis mihi videtur esse ratio; quòd, cùm naturâ proclives simus ad vitia, &c.

A causa ad contrarium.

FAcilis contra, lubricáque ad vitium via est. At verò via, quâ ferimur ad vitia, ita commoda est, ut duce nequaquam sit opus.

Contrà verò, quid facilius, quàm labi ad vitia? Quàm contrà, jucundum, & amœnum est vitiorum iter!

Nullum è contrario expeditius, & facilius iter est, quàm quod ad vitia non dicit, sed præcipitat hominem.

Sed, ùt abrupta, plenaque laboris ad virtutem via est, ita planissima, plenaque voluptatis est, quâ rapimur ad vitium.

At, o! miserrimam conditionem nostram! quantum miseriarum experimur, cùm ad virtutem tendimus, tantum percipimus jucunditatis, ruentes ad vitia.

Atque utinam æquè saltem incõmoda esset ad vitium, atque ad virtutem est via! verùm nihil simile, nihil habere commune possunt virtus, & vitium; cùm labore ad illam, voluptate ad hoc contendamus.

Age jam, oculos in virtutis viam conjice. Superi, quàm est salebrosa! &c.

A contrario ad simile:

QUemadmodum enim ascensus difficilis esse solet, tantòque difficilior, quantò infirmiores sunt vires ascendentis, & asperior collis est: Ita, &c. Ex-

Et verò, quod in arte Architectonica ůsuvenit, ut magnus ſit in ædificando labor, in deſtruendo verò nullus: ſimiliter &c.

Vide, quanta cura, quanta contentione imago pingitur, quæ momentô lacerari, delerique poteſt: Idem accidit, &c.

Sic non ſinè ingenti laboe, ac periculo Adamantes è rupibus inacceſſis, Aurum è terræ viſceribus, Uniones è fundo maris eruuntur.

Cogita, quanto cum labor artium omnium prima elementa diſcantur; intelliges, &c.

A ſimili ad exemplum.

TEſtes ſunt Heròés illi omnes, qui vitam in ærumnis conſumpsêre, ut virtutem adipiſcerentur.

Teſtes appello illos omnes, qui ſangvinis pretiô theſaurum illum ſibi comparârunt. Vos appello, illuſtres viri, fœminæque. Te appello, Alexi, Carolomane, qui, ut virtutem, &c.

Experti ſunt laborem virtutis, magnus Athanaſius, Chryſoſtomus, Baſilius, aliiq; innumeri, &c.

Sensistis hunc laborem, Doctores inclyti, invictissimi Martyres, celeberrimæ virgines, dum, &c.

Quid exemplis opùs est ad id stabiliendum, quod dicimus? Quis enim nescit; intolerabiles ærumnas eos pertulisse, qui virtutis iter secuti sunt?

Requiris exempla? Testes desideras? Evolve annales omnium Gentium, &c.

Ab exemplo ad testimonium.

NEc verò aliud significare voluit ipse Christus, cùm diceret: angustam esse vitæ portam.

Idem sentiebat ille, qui dicere solebat. Deos nobis omnia laboribus vendere.

Quid aliud innuere Pythagoras voluit, virtutem affirmans cum labore semper esse conjunctam?

Audite, quid in eandem sententiam Horatius scripserit. Nihil sinè magno vitæ labore dedit mortalibus.

Hoc ipsum declarare voluisti, Sophocles, cùm assereres, sinè labore nihil homini benè unquam succedere.

Sed quid plura disputo? Audiamus, quàm

quàm præclarè Cicero eandem hanc sententiam suo testimonio comprobârit.

Epilogorum Formula.

QUæ cùm ita sint, quis non fateatur, arduam esse ad virtutem viam, rem esse plenam negotii? &c.

Quæ cùm ita se habeant, neminem esse puto tam à ratione alienum, qui virtutis studium, &c

Itaque fateamur, necessè est, nihil à scriptore illo verius dici potuisse, quàm, cùm asseruit, arduam esse, &c.

Et erit deinde, qui in dubium revocare audeat, quod tot rationibûs stabilitum est? videlicet arduam, &c.

Imponamus orationi clausulam, assensumq; præbeamus manifesto huic oraculo: virtutis stud ô difficilius nihil esse &c.

Sed tempus est, institutæ orationis expediamus exitum, iîsdémque verbîs, quibûs initium dicendi sumpsimus, finem dicendi faciamus.

Hæ porrò Conclusionum, seu Epilogorum formulæ vulgares sunt, & communes argumentis quibuslibet; at con-

cip-

cinniores erunt, & aptiores, quæ ab ipsa Chriæ materia, seu ab ipsis, quod ajunt, Chriæ visceribus ducentur, ùt variis e- xemplîs patebit paulò inferiùs.

CAPUT VI.

Exempla Chriarum.

TRia Chriarum genera esse diximus: alias in verbis, quæ Verbales; alias in actione aliqua, quæ Activæ; alias partim in verbis, partim in actione, quæ vulgò dicuntur Mixtæ. Exemplum afferamus singularum, earúmque (primi præsertim, ac secundi generis) ita singula prosequamur capita, ut quæ primùm ac rudî stylô delineata fuerint, eadem paulò ornatiore pertexamus: sic nimirum faciliùs animadverso inter utrumque scribendi modum discrimine, advertes faciliùs, quid imitandum sit, & quid cavendum.

CHRIA VERBALIS.

In hæc Regis Salomonis verba:
Stultorum infinitus est numerus.

MUlta quidem sapienter dixit Salomon; sed nihil sapientiùs unquam pro-

protulit, quàm cùm pronuntiavit, stultorum infinitum esse numerum.

Ita ferme Grammaticus: id ipsum autem Rhetor sic eloquetur:

Sapienter quidem illustrissimus ille Rex, qui ob eximiam, ac divinam, quâ mortales universos superavit, laudem sapientiæ, clarissimum sapientis nomen adeptus est, & quasi proprium sibi quodammodo vindicavit: sapienter, inquam, Salomon dixit, scripsitque plurima. At nihil magis consentaneum rationi, ac veritati congruum prolocutus est, quàm, cùm stoliditatem hominum secum ipse reputans, divinò incitatus spiritû, afflatúq; cœlesti numine, stultorum numerum infinitum esse, pronũtiavit.

Ita est, omnes ferme homines desipiunt, & nullus est locus, in quo stultos non invenire liceat: verè quippe insani sunt, ac dementes, qui vitium virtuti præferunt, & terram cælo, Deumque rebus creatis anteponunt; atqui infiniti sunt,

sunt, qui hôc stultitiæ genere laborant; ergo stultorum infinitus est numerus.

Impolita hæc oratio, & incompta sic ornabitur.

ITa est profectò: mortalium plerique (absit verbo invidia) eò praviori sæpè laborant morbô dementiæ, quò sibi plùs cæteris videntur sapere. Quò enim ibis, oro te, ubi non offendas insanos? eorum partem maximam, quos vides suis studere commodis captare delicias vitæ, rerum suarum diligentem gerere curam, susceptaque negotia callidîs consiliîs ad optatum finem perducere; illos inquam, quos vulgus hominum, ùt prudentes laudat, extollit ùt providos, ùt acres & ingeniosos prædicat, eosdem Rex ille sapientum Salomon, longè imprudentissimos, stultissimósque appellandos esse, jure contendit. Quid? non appellabuntur insani, qui honestati turpitudinem, libidinem moderationi, virtuti vitium, cœlo terram, caduca bona veris, ac sempiternis anteponunt? Non desipere dicam, qui, relictîs cœlestibus to-

atæ vitæ gaudiis, obſcœnas voluptates conſectantur? Non ſtultos vocem? qui momentanea delectatione æternos ſibi parant cruciatus; qui proculcatâ rationè vitam belluis ducunt ſimillimam; qui gloriolæ inanes fumos aucupantur; qui omnia ex opinione, nihil ex veritate judicant?

Videſne diſcrimen utriuſq; Paraphraſis?

CAuſa hujus ſtultitiæ tam latè patentis eſt quia plerique non rationem ſequuntur ducem, ſed cupiditates quibûs abripiuntur ad inſanam illam vivendi rationem.

Hanc cauſam ſic expone per Allegoriam.

NImirum: vitæ ſuæ ducem pauciſſimi ſequuntur rationem, quæ, cùm deberet clavum moderari, & vitæ curſum regere, exturbata per ſummum ſcelus, & contumeliam, in ſentina vitiorum demerſa jacet; dum in ejus locum ſuffecta cupiditas tractat gubernaculum, & furentibus animi perturbationibus, ùt fluctibus inſanis, hominem exponit.

Contrà ſapientum numerus oppidò exiguus eſt.

Hanc

Hanc sententiam ita dilatabis per inductionem allegoricam.

APparent interea, tot inter insanientes naufragos, rari sapientes navigantes in vastissimo procellosæ hujus vitæ oceano. Unus Ulysses numeratur, & unus Orpheus, qui Sirenum ferali cantû non pelliciantur in fraudem, qui Circæîs illecebrîs non dejiciantur de statu mentis, qui Scyllas, & Charybdes innoxii prætervehantur, & virtutis portum teneant

Sicut inutiles lapilli, & plantæ nullius pretii sunt innumerabiles, ita infiniti sunt stulti.

Ornatius hoc ita expones per incisa, repetitionem, &c.

CItiùs profectò fluctus, quos ciere tempestas solet, aut arborum folia, quæ frigus hyemale decutit, aut lapillos, quos in littoribus alluunt undæ, quam exsortes rationis, ac prudentiæ homines numerabis. Ita enim naturâ comparatum videmus, ut præclara quæque rara sint, vilissima passim occurrant. Sic saxis ignobilibus, & silicibus loca omnia cer-

nis obſita; ſic inhorreſcunt vepribus, infelicibûſque plantis opprimuntur agri; ſic, &c.

Exemplum dabit Nöémus, qui inter infinitos amentes ſolus ſapiens inventus eſt.

Hoc exemplum ſic explica; & ſequens caput cum ſuperiore ita conjunge.

NOn nunc primò infiniti eſſe cœperunt maleſani. Ab orbis incunabulis eorum numerus crevit in immenſum, & ita crevit, ut ex innumeris hominibus, poſt mille ſexcentos, & quinquaginta ſex annos, unus duntaxat inventus fuerit Nöémus, qui divinô ſuffragiô ſapientis laudem adeptus ſit, quique extorrem terris ſapientiam exceperit in fatalem illam navim, divinô juſſû à ſe fabricatam, in qua ſolus cum ſuis à communi diluvio, rerumque omnium naufragio ſervatus eſt.

David Rex, & Propheta, Salomonis filii ſui ſententiam ſuâ confirmavit, cùm dixit: nè unum quidem inventum eſſe, qui ſaperet.

Hoc

Hoc testimonium sic adhibebis elegantiùs per Apostrophen.

ID videras, Vates sanctissime, Salomonis sapientissimi multò sapientior parens; hauserat ille à te disciplinam hanc cœlestem, divinámque Philosophiam. Audierat te profectò, cùm, perspecta mira paucitate sapientium, exclamares attonitus, ac stupens; ne unum quidem ex omnibus ab rerum omnium inspectore DEO esse deprehensum, qui saperet, qui rectam virtutis viam sequeretur, qui vitam ageret homine dignam. *Omnes declinaverunt*, inquiebas, *non est intelligens, non est usque ad unum.*

Igitur sapienter dixit Salomon, stultorum infinitum esse numerum.

Paulò concinniùs ita perorabis per interrogationem periodicè fusam.

QUæ, si vera sunt, ut verissima esse nemo sanus dubitabit, an non sapientissimè Salomonem asseruisse, fatendum est: stultorum hominum tantam esse ubique gentium multitudinem, ut eos numerare nemo possit.

CHRIA

CHRIA ACTIVA.

S. Franciſcus factîs concionaturus, nõ verbîs, urbem totam obit cum ſocio.

Singularum hujus Chriæ partium proponam artificium, quô illud faciliùs imitêre. Exordiamur à laude S. Franciſci.

SIlete omnes: Franciſcus ſe ad concionandum comparat. *Vis hâc lineâ paginam implere terna illius partes diffundenda ſunt. Prima*: Silete omnes; *ab enumeratione partium, eos compellando, quibus imperari poteſt ſilentium. Secunda*: Franciſcus; *explicando, quis ille ſit, per varias definitiones, & effectus. Tertia*: ſe comparat ad concionandum; *exponendo ab adjunctis, quid ſit ſe comparare.*

Silete Oratores; favete lingvis Rhetores; ſacri concionatores novum Concionatorem auſcultate. Franciſcus, ille religioſæ paupertatis aſſertor inclytus, generoſus ille contemptor opum, & inopiæ cultor opulentus, ille tam expers literarum, & eruditæ facundiæ, quàm virtutum dives; Franciſcus, inquam, concionaturus prodit ex cellula; adeſte animîs omnes, & attendite.

Sequitur Paraphrasis, seu potiùs explicatio actionis illius, quæ hujus Chriæ argumentum est, quamque hîs tribûs verbîs complector: Franciscus urbem modestè silens obit.

Porrò hæc actio ab Adjunctis, & consequẽtibus amplificanda est. Adjuncta sunt, Francisci per urbem incedentis silentium, ac modestia. Consequentia verò, civium concursus ad illum videndum, ipsiúsq; virtutis admiratio, variîs testata signîs.

Hanc Paraphrasim, sive expositionem adnectes per correctionem oratoriam; subjicies crebram antithesim, tùm sustentationem.

IMò verò intendite potiùs oculos, & aspicite. Usus aurium nullus in hac concione futurus est: quippe, quæ silentiô fieri debet; non voce; factîs, non verbîs: exemplô, non sermone. Quid expectatis? non ascendit Franciscus pulpitum, descendit in publicum; non sacram subit ædem, sed totam obit urbem: neque manus movet ad gestum, sed immotas ante pectus, modestissimè compositas tenet.

Nihilo tamen minùs, etsi divinus hic Orator verbum faciat nullum, neminemque

que vel alloquatur, vel aspiciat, susceptámque insistat viam silens, auditores innumeros nanciscitur: effundunt se obviam viri & fœminæ, turmatímque ad audiendum (iterum hîc erro) ad videndum, inquam, Franciscum, convolant Modestiam suspiciunt incedentis, squallorem habitû observant, patientiam demirantur, vitæ sanctimoniam prædicant. Nec verò votîs solùm testantur conceptam animô reverentiam, ac submisso corpore, venerationis ergò, honorem habent transeunti, procumbunt alii ad ejus pedes, & impressa solo lambunt vestigia. Illi contingunt manû trepidâ vestis detritæ fimbriam, ac furtim frustula præcidunt. Sed quid hæc singillatim commemoro? ad studium virtutis accenduntur omnes, ad salutarem DEI metum, æternæque vitæ cogitationem excitantur aspectû Francisci. Interea vir sanctus suam se refert in cellam: jamque limen attigerat, cùm ad illum conversus comes: Quò te mi Pater, agis? inquit: Ubi illa concio, quam

ce in egressu habiturum esse dixeras? Cui ille: Concionem, inquit, peregimus, atque ex animi quidem sententia, non voce peroravimus, sed exemplô.

Causa jam subjicienda utilissimæ hujus, ac præstantissimæ concionis, quòd scilicet exempla efficaciora sint ad persvadendum quàm verba. Hæc autem causa per expolitionem, & congeriem sententiarum idem ferme significantium dilatari sic potest. Initium duces ab exclamatione,

O! concionem præclarissimam! o! tacitam, simulq; eloquentissimam orationem! Perorâsti, Francisce, perorâsti sanè feliciter, uberrimumque ex oratione tua collegisti fructum: persvasisti, tantòq; faciliùs, quantò ad persvadendum disertior manus, quàm lingva est, & ad expugnandos animos machina multò validior exempla sunt quàm præcepta: hîs videlicet illustratur humana mens, illîs incenditur: hæc vocant, illa trahunt; hæc denique svadent, illa persvadent. Vis, o! quicunque oratoriam profiteris artem, persvadere? vis arduam virtutis com-

complanare viam? præi exemplô, sponte sequentur alii: factîs hortare priûs, quàm præceptionibûs, cœlestem virtutis formam ne verbîs depinge tantùm, vix enim auribus quisquam credit; sed eam moribûs exprime, & velut oculis objice; statímq; spectantium animos ejus amore succendes.

A contrario nunc ostendendum, verbîs non æqè moveri homines. atque exemplîs, insectando illos Oratores, qui cùm non faciant, quæ docent, delectant quidem aliquando, at nunquam movent.

At vos, Oratores vanissimi, qui eloquenti lenociniô & illecebrosâ loquacitate titillatis aures imperitas, aliudq; nihil aucupamini, præter auram popularem, & famæ rumusculos, amabo, dicite, qui motus animorum, quæ immutationes voluntatum, quæ virtutum miracula, præclares illas, quas habuistis, conciones fuerint consecuta. Meditatas orationes, ad amussim exactas, & ad unguem politas affertis domô, vocem intenditis, obtunditis clamoribꝰ otiosas au-

res, at

stes, at quô fructû operæ? Vobîs enim exardescentibûs, auditor friget; vobîs perstrepentibûs, oscitat; intonantibûs, obdormiscit. Quid ita? quia orationi vestræ mores non consentiunt; quia, quod sermone statuitis, actione refellitis; quia, quod svadetis verbô, prævaricante vita refutatis.

Nempe non sonanti grandine sitientes rigantur agri, sed leniter stillante pluvia; non fulminum fragore segetes educantur, sed benigno solis aspectû, non, &c.

Videte, quô milites ardore irruant in hostes, quô furore irrumpant in obsessam urbem per eversa mœnia. Quid illos vitæ, ac necis oblitôs, per media rapit pericula? Dux egregius, qui sublimis in equo, & exertum vibrans gladium, præivit.

Testis hujus sententiæ locuples, & veteris Francisci suffragator idoneus es, Francisce Borgia, Gandiæ Dux sanctissime. Côncionabatur aliquando vir ille sanctus extra urbem in planitie patentissi-

tissima, ob incredibilem hominum turbam è circumjectis oppidis confluentium; cùmque nec posset audiri à remotioribus, imò nec intelligi quidem à proximis, quòd regionis lingvam non ita calleret, fluebant tamen ab oculis omnium magno cum pietatis sensu lacrymæ: nonnullique interrogati, quid lacrymarentur; cùm ea, quæ dicebantur, non intelligerent? Flemus, inquiebant, quia sanctum Concionatorem intuemur.

Adeò verum est Leonis sanctissimi, maximique Pontificis oraculum: validiora esse exempla, quàm verba, & pleniùs opere doceri, quàm voce. Adeò nihil à sancto Francisco fieri potuit sapientius, & ad persvadendum accommodatius, quàm, cùm exemplô modestiæ, reliquarumque virtutum concionaturus urbem tacitus peragravit.

CHRIA MIXTA.

Diogenes accensâ laternâ, frequentissimô forô, hominem quærit.

QUid cum laterna illa tua quæris,

Dio-

Diogenes lepidissime bipedum? quid investigas, sapientissime nugator cum accensa illa laterna in meridie, medio in foro frequentissimæ civitatis? Responde, tenebrio clarissime, quid investigas? Audite, quid respondeat. Hominem quæro, inquit. Hominem quæris? tu tot inter homines inquiris hominem? Amplissimo in foro, in tanta hominum ultrò citróq; commeantium multitudine hominem quæris? Quid, oculísne, an mente orbatus es? quos intueris, umbrásne hominum putas esse, non homines? qui te salutant, qui percontantur, quid quæras, hos non homines esse putas? Non putat. Quærit hominem scilicet, non quemlibet obvium, sed prudentem, sed cordatum, sed temperantem, addictumque virtutis studio, denique sapientem. Quid enim censes, tu, qui Philosophi hujus consilium, & responsum rides? quem, amabo, hominem esse judicas? quem hoc illustri nomine dignum arbitraris? Eumne, qui felicitatem turpissimis in

rebus

rebus sitam existimans, nihil sibi expetendum putat, nisi quod corporeos sensus, inani, aut obscœna delectatione permulcet? qui nihil cogitans de honestæ vitæ, & rationis officio, eò fertur amens, quò voluptas allicit, quò cupiditas incitat? Egregiam verò speciem, dignitatemque hominis, quem summus omnium opifex DEUS præposuit terrarum orbi, cujus imperio subjecit omnia, cujus causâ universam condidit mundi molem. Ille homo dicendus est, qui magnitudine animi, despicientiâ rerum humanarum, virtutibûsque omnibûs munitus spernit voluptates, refrænat libidines, coërcet avaritiam, improbissimis dominis, ambitioni ac turpitudini non paret. Hic ille homo est, quem Diogenes olim quæritabat, quèmque, ut faciliùs inveniret, lucernam de medio gestabat die.

Hujus enim generis homo non est obvius; eo more qui vivat, perrarus est: accendenda tibi idcirco sagacioris

judicii lampas, non corporis solùm aperienda lumina, ut eum discernas ab aliis: Externam quippe oris humani speciem, pleriq; præseferunt: at cupiditatis immoderatæ plusquam Circæô poculô, in varias mutati belluas, vulpium induunt alii fraudulentam indolem, luporum alii voracitatem imitantur, alii leonum rabiem, serpentum virus, asellorum stoliditatem, ac desidiam, levitatem volucrum, moribûs adæquant, ac sæpè vincunt.

Tales si tu homines indagas, lucernam haud opùs erit accendere, nec obire fora, compitaque necessè, erit; ubique tibi occurrent; hujusmodi invenies infinitos, vel occlusîs luminibûs: At si verum inquiris hominem, si optas reperire sapientem, sume lucernam, teque Diogeni comitem adjunge.

CAPUT VII.

Chriarum argumenta varia.

FActurum me putavi rem æquè præceptoribus gratam, ac discipulis, si quædam hìc argumenta Chriarum subnecte-

necterem, materiámque rudem, & impolitam subministrarem, in qua ipsi deinde tirones elaborarent per otium. Pleraque hîc delineo: quarum Primæ Verbales; sequentes Mixtæ erunt, ultimæ Activæ.

I. CHRIA VERBALIS.

Fiet in hanc sententiam:

Invia virtuti nulla est via.

Ovidius laudabitur ab ingenii magnitudine, & sapientia, cùm hanc protulit vocem: *Invia virtuti nulla est via.*

Sententiæ hujus sensus est, nihil esse adeò difficile, quod homo virtute præditus præstare non possit. Difficultates hìc singiliatim recensendæ sunt, labores, ærumnæ, jacturæ bonorum, ac nominis, morbi, mors denique, & ostendendum, eas omnes difficultates egregiè à virtute vinci, adeòque feliciter, ut, quò labores graviores sunt, eò majorem colligat gloriæ segetem, & uberiorem laudum materiam.

Cur nulla est via tam difficilis, quæ sit virtuti invia? Cur nullus labor est

tantus, quem ſuperare virtus non poſſit? Quærenda erit idonea hujus rei ratio: v. g. quia virum virtute præditum nulli terrent labores, non ipſe mortis aſpectus conturbat, &c. Vide Horatium Ode. *Juſtum. & tenacem, &c.*

Contrà: vitium eſt debile, iners, infirmumque, & vel minimo labore homo virtute deſtitutus frangitur.

Quemadmodum fulmini nihil occurrit, quod obſiſtat; ùt Soli nullæ opponi nubes poſſunt, quas non diſſipet; ſicut torrens repagulîs objectîs intumeſcens, obvia quæq; proruit; ſicut incluſus ignis erumpat neceſsè eſt, nullæque ſuperimponi poſſunt tantæ moles, quas non evertat; ita virtus, &c.

Quàm difficilè Davidi fuit, adhuc puero, & inermi, leones, urſos, cominus exceptos ſtrangulare, ac dilaniare in fruſta? dilaniavit. Gigantem armatum ſingulari certamine vincere, ac proſternere? vicit, proſtravit, interfecit. Quàm laborioſum Joſepho fuit fratrum invidiam, & crudelitatem, ſervitu-

virtutem, calumniam, vincula ferre, ac superare? tulit fortiter, feliciter superavit. Similis exemplorum inductio fieri hôc locô poterit in eundem modum.

Ovidio Q. Curtius iisdem ferè verbis concinit, cùm ait: nihil esse tam arduũ, quò virtus non possit eniti.

Concludetur brevî epilogô, quo nos ipsos excitabimus ad virtutis cultum; cùm nihil eâ sit potentius.

II. CHRIA VERBALIS.

Etiam sinè Magistro vitia discuntur.

LAudandus Seneca, quòd inter Scriptores Ethnicos magistri virtutum nomen meritò vindicare sibi posse videatur, maximè, dum dixit: etiam sinè magistro addisci vitia.

Explicabitur illa sententia ostendendo, opùs non esse scholas frequentare vitiosorum hominum, libros legere pestilentes, præceptores audire improbos, ut discamus vitia, &c.

Causa, cur sinè labore, studióque vi-

tia discantur, est naturæ nostræ pravitas, & ingenita nobis ad malum propensio, quam quotidianis vitiis augemus.

Vitio contraria virtus est: ut hanc addiscamus, quot magistrorum, & librorum opera requiritur? quot præceptis, quot monitis, quot lectionibus egemus?

Similitudo ab agricultura petetur: ut enim noxia gramina, inutiléque plantæ progerminent, nulla cultoris industriâ opus est, sponte sua profundit inculta tellus spinas, & carduos, &c. Sic vitia, &c.

Exemplo esse possunt adolescentes illi omnes, qui, cùm honesta in familia, probîs nati, educatíq; sint parentibûs, vitam vitiis inquinatam agunt.

Eandem sententiam expressit hîs verbîs sanctus Hieronymus. *Proclivis est*, inquit, *malorum imitatio.*

Ex his inferemus, sapienter dixisse Senecam, sinè magistro vitia addisci; rectè nos facturos, si emendare studeamus ea, quæ jam per nos ipsi didicimus,

& quæ

& quæ fortè etiam alios docuimus, doctiores, heu! quàm deceret, ad malum magiſtri.

III. CHRIA VERBALIS.

Principes nunquam ſoli peccant.

FAmianus Strada, qui hanc protulit ſententiam, vir eloquentiæ laude clarus, religioſæ vitæ laudibûs clarior, hiſtoricus noſtrorum temporum eximius, laudandus obiter.

Hæc ſententia, *Principes nunquam ſoli peccant*, per ſuas partes erit exponenda, explicando ſingulas voces periodô unâ pluribúſve. *Principes*, qui ſcilicet rerum gubernacula moderantur, qui ſumma cum auctoritate præſunt, Reges, Magiſtratus, Præſules, &c. *Si quando peccant*, ſi quid admittant contra jus, & Virtutis leges. *Non ſunt ſoli*, hoc eſt, multos ſceleris ſocios habent, aut imitatores.

Cauſa cur non ſoli peccant, eſt, quia, cùm auctoritate ſumma polleant, maximâque potentiâ, aſſentatores habent

 innu-

innumeros, qui, ut eorum gratiam sibi demereantur, obsequuntur nefariis illorum cupiditatibus, ipsorúmque vitia & imitantur, & adjuvant. Secundò; quia Principum facta leges videntur esse populorum.

Contrarium prorsùs usuvenit, cùm Principes è virtutis disciplina vitam traducunt: illorum enim exempla valent maximè ad virtutem persvadẽdam.

Principum exemplô, & auctoritate, tanquam fundamentô, innituntur Respublicæ: ruente fundamento, totum, necesse est, ædificium corruat. Ducum in bello, & in mari navarchorum peccata exitium non uni, sed plurimis offerunt.

Exemplîs si opùs esset, dicerem Neronis temulentiam ad imitationem tantùm valuisse, ut Roma in popinas mutata videretur: sævitiam, Commodo gladiatorem agente, in mores hominum ita manavisse, ut ipsæ fœminæ gladiatoris cùltu in arenam procederent.

Claudianum canentem audivimus;

Scilicet in vulgus manant exempla regentûm;
Utq. ducum lituos, sic mores, castra sequuntur.

IV. CHRIA VERBALIS.

Voluptas esca malorum est.

PLautus, auctor hujus sententiæ, laudabitur ob. ingenium admirabile, præsertim in moribus hominum venustè describendis, vitiisque scitè carpẽdis.

Explicabitur illa sententia similitudine ipsa, quàm continet: ùt enim hamô pisces, sic voluptate inescantur, & capiuntur homines, & ad omne vitiorum genus trahuntur.

Quæris causam, cur voluptate ad vitia homines alliciantur? Quæro ego vicissim ex te causam, cur hamô pisces capiantur? Quia, inquis, escam, non uncum ferreum vident pisces. Idem quoque respondeo; quia homines voluptatis duntaxat, non doloris secuturi sensum reputant. Non considerant, cùm peccant, innumera, æternáque mala quæ

la, quæ momentanea, leviſſimaque voluptas invehit.

Labor contrà, ſi minùs eſca bonorum dici poteſt, quòd nihil delectationis objiciat ſenſibus, origo certè dici debet bonorum omnium; nam ex labore vera virtus, ex virtute æternus honor, felicitáſq; ſempiterna profluit.

Quamvis ſimilitudinem ſuam habeat ipſa ſententia, poterit tamen ſimilitudinis ſubire vicem, quod de Sirenibus fabulantur Pöëtæ, quæ ad maris oram conſiſtentes, ſvavitate cantûs pellectos, ſopitóſq; nautas, ac vectores, quaſi piſces, irretiebant, ac devorabant. Nonne Siren fraudulenta fuit illa muliercula, quæ Samſonem, omnium mortalium fortiſſimum, blanditiîs ineſcatum vinxit, totondit, prodidit, perdidit?

Plauti ſenſum totidem verbîs aſſecutus eſt Cicero, idemque verbîs aliîs alio loco élegantiſſimè ſignificat. *Imitatrix*, inquit, *eſt boni voluptas, malorum mater omnium, cujus blanditiîs corrumpuntur, quæ naturâ bona ſunt.*

I. Chria

II. Chria Mixta.

Omnia mea mecum porto.

LAudabitur Bias à ſapientia, quâ ſic excelluit, ut inter ſeptem Græciæ ſapientes fuerit numeratus. Is, cùm patriam ejus cepiſſet hoſtis, cœteriq; ita fugerent, ut multa de ſuis rebus ſecùm aſportarent, admonitus à quodam, ut idem ipſe faceret: *Ego verò*, inquit, *facio; nam omnia mea mecum porto.* Quid, obſecro, ſapientiùs dici potuit?

Demonſtrandum eſt, quàm ſapienter Bias reſponderit, quàmque ſit verum, nulla eſſe alia homini bona, præter ſapientiam, & virtutem (hoc enim ipſum Bias intelligebat, cùm diceret, omnia mea mecum porto.) Id autem fiet enumeratione omnium bonorum, quæ poſſidere homo poteſt, qualia ſunt fortunæ bona, opes, honores, fama, nobilitas; & bona corporis, ſanitas, robur, pulchritudo. Hujuſmodi bona omnia dici non debent bona hominis, ſed ſola virtus. Quid ita? Quia ſola virtus bonum hominem, perfectumque efficit.

Secundò; quia virtutem, qui possidet; thesaurum infinitum possidet, nullâque re aliâ eget. Tertiò; quia virtus ita nostrum est bonum; ut, sicut ab homine dari non potuit, ita nec ullâ vî ab homine ullo eripi nobis queat. Quartò; quia sola virtus reddere nos beatos potest, æternùmque felices.

Contrà verò, naturæ ac fortunæ bona omnia ad ò non bonos nos reddunt, ut sæpissimè pessimos, ac sceleratos efficiant. Secundò, boni nomen non merentur; quia probis sæpè denegantur, & tribuuntur improbis. Tertiò; quia sinè laude, imò plerumquè maximo cum dedecore possidentur. Quartò; quia auferri nobis possunt, & in morte semper auferuntur. Quintò; etsi fruamur iîs bonîs omnibûs, si una caruerimus virtute, miserrimi in hac vita sumus, multòq; miseriores in altera.

Qui hujusmodi bonîs gloriatur, idem facit, atque cornix illa Æsopica, quæ pennîs decora alienîs circumspiciebat sese: at spoliata ornatû non suô, irrisa fuit ab aliis volucribus.

Jobus, licèt orbatus istîs omnibûs bonîs, dives tamen, ac beatus erat, quia virtutem adhuc retinebat, quam dæmon eripere illi unà cum cæteris bonis non potuerat.

Idcirco rectè Seneca dixit: *Unum hominis bonum virtus est.* Recte Plautus: *Omnia ei adsunt bona, penes quem est virtus.*

II. Chria mixta.

Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

LAudandus Micipsa, Numidarum Rex, à prudentia, cujus virtutis egregium specimen, ac documentum dedit, cùm filios suos moriens ad concordiam hîs verbîs hortatus est: Regnum vobis trado firmum, inquit, si boni eritis, sin mali, imbecillum: nam concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. *Hujus sententiæ duæ sunt partes, inter se contrariæ, & seorsum explicandæ.* Prima hæc est. *Concordiâ voluntatum, & conjunctione virium nihil esse tam parvum, quod non evadat amplissimum; nihil*

tam humile, quod non assurgat, nihil tam debile quod non corroboretur, ac vigeat.

Altera sententiæ pars, primæ illi opposita, hunc sensum habet. *Discordiâ, distractione voluntatum, ac virium, familias magnas extingvi, Respublicas florentissimas interire, Imperia firmissima labefactari, penitúsque concidere.*

Causa in promptu est, quia virtus, quò magìs unita, eò fortior est & faciliùs resistit fortunæ, ac malevolorum injuriis. Cùm autem disjuncta est, ac segregata, existit imbecillior, adeòque nullo ferè labore frangitur.

Quamdiu propugnaculi saxa firmiter inter se cohærent, tamdiu est inexpugnabile: ac, simul ac parietes facere labem incipiunt, &c. Ut conjunctæ guttæ in rivos, fluminaque còëunt, separatæ modico tempore siccantur. Tertiò, ùt congregati pulvisculi assurgunt in excelsos montes, dispersi verò cedunt ventorum ludibriis: sic res discordiâ pessumeunt, concordiâ sustinentur, & alias aliæ muniunt.

Exem-

Exemplum dabit insigne Romanorum Imperium, quamdiu enim in Romana Republica concordia viguit, stetit illud, floruitque, at ubi discordiâ Pompeji, & Cæsaris in factiones distractum est, brevì concidit.

Idem cùm timeret familiæ suæ *Scilurus* ille Scytha, octoginta filiorum Pater, omnes accersens paulò ante mortem, fasciculum jaculorum singulis frangendum porrexit: at illi, cùm id ne tentare quidem voluissent, quòd viderent frangi nequaquam posse integrum fascem: tunc sapiens pater singula educens jacula, facilè fregit universa, hoc addens, idem ipsis eventurum, nisi concordes, conjunctique viverent.

Epilogus hortabitur ad concordiam.

III. Chria mixta.

Amici, diem perdidi.

Titus Imperator, is, qui ob humanitatem, ac studium benè de omnibus merendi, deliciæ generis humani cognominatus est, si quem diem egisset

non

non insignitum aliquo in homines beneficio, dicere solebat ad amicos conversus, & ingemiscens: *Amici diem perdidi.* Quo laudum genere non est digna tam amabilis indoles?

Exponenda illa sententia, cujus hic sensus est, amissum illum dici posse diem, quò nullum contulerimus in homines beneficium.

Hujus rei causa est; quòd nihil sit homini convenientius, nihil dulcius, utiliúsve, quàm de aliis benè mereri.

En tibi haud dubiè tum obversabatur cogitatio Cyre, cùm plus ex pecuniis in merentes effundendis quàm ex coacervandis caperes voluptatis. Ea res, Constantine, & Carole Magne, faciebat, ut doctrinâ, & pietate claros homines augeretis honoribûs, beneficiîs; ornaretis.

Notat Socrates, quàm quæstuosa sit negotiatio hujusmodi; cui cùm Æschines, pauper Auditor, nihil se diceret habere, quod mercedis loco daret, præter se ipsum, & rogaret, ut hoc qualecumq;

cum q; munus dignaretur accipere: Tu verò, inquit ille, me magno, nisi te fortè parvi æstimas, munere affecisti.

Itaque demus operam, nullum ut sinamus abire diem, quem non ornemus illustrì aliquô nostræ in alios benignitatis, & beneficentiæ monumentô.

IV. Chria mixta.

Vox Augusti morientis. Plaudite.

LAudandus Cæsar Augustus, Romanorum Imperator felicissimus, ac sapientissimus, qui moriens, circumstantibûs lectum amicîs: Ecquid videor, inquit, satìs bene personam egisse meam? Cùm illi, optimè, respondissent: Ergo, inquit Cæsar, Plaudite. Quô dictò, statim loqui, & vivere desiît.

Sensus illius vocis est, nemini mortalium plaudendum esse ante mortem.

Cur, nisi in morte, aut post mortem nemini plaudendum? Quia vita hæc fabula est, in qua suam quisque personam sustinet, alii Regum, alii mancipiorum, &c. Quisquis ex artis legibus, hoc est, ex virtutis, & rationis

præ-

præscripto personam egit suam, plausum refert. Contrà, qui non pro dignitate munus suum obierit, taléque se non exhibuerit actorem, qualem imposita sibi persona postulabat, æternum dedecus sustinebit. At neque isti probrum, & ignominiam, neque illi laudem, ac plausum ferre debent, nisi in morte, quia mors est vitæ absolutio: nihil autem, nisi absolutum, laudem, ac probrum meretur.

Inconsultissimè agunt, qui plaudunt ante mortem, qui nondum debitam laudis mercedem exigunt, superstite adhuc vitâ, plaudentes sibi ipsis, aut aliis etiam adulantes.

Nec enim in fabula plauditur priùs, quàm ad exitum, & catastrophen peracta fuerit. Non imponitur corona victori, nisi post emensum stadium, confectúmque cursum. Non conceditur triumphus, nisi peractâ pugnâ &c.

Quid agitis, Romani: Quid Tiberio, quid Neroni, ac Vitellio imperium capessentibus intempestivè plauditis?

Expe-

Expectate, nondum est plaudendi tempus, expectate, dum vitæ claudant scenam. Fallor, tamdiu non est expectandum, aliam brevi personam induent: exuta omni humanitate, non agent Imperatorum, & patriæ parentum partes, sed immanium Tyrannorum, &c.

Quàm sapienter dictum ab egregio Pöeta! *Dici beatus ante obitum nemo, supremaque funera debet.*

Sic laudabiliter vivamus, ut morientes nobis tutò plaudere, imò potiùs DEO grates agere meritas & ejus in nos beneficiis gratulari possimus.

I. Chria Activa.

Lingvâ nihil pejus.

ÆSopus, pulcherrimum illud in turpissimo corpore ingenium, laudem meretur, quòd jussus optimos quosq; cibos apparare ad convivium, nulla, nisi lingvarum fercula in mensam intulit, jussus iterum ex pessimis quibusque cibis epulum adornare, lingvas iterum in mensa multiplices ministravit.

Breviter exponetur, quid sapiens ille fabu-

fabularum artifex ſignificare voluer illô ciborum apparatû: nihil aliud cer tè, niſi quòd, ùt lingvâ nihil melius cùm rectè loquimur, ita cùm malè, nih pejus, & perniciofius eſt.

Cur lingvâ nihil pejus eſt? (*nam, nih eſſe melius, probabitur in ſequenti Chria.*) Quia infinita damna parit, quod enu meratione facilè oſtendi poterit.

Silentiô contrà nihil melius eſt. *E ſtultus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputa bitur.*

Lingva enſis eſt quot ſtrages, quot cædes edit? &c. Flamma eſt, quot in cendia miſcet? Jaculum eſt, eminus ferit, &c. Eſt ſerpens, virus ubique ſuum ſpargit, &c.

Serpentis tartarei, & primæ omnium fœminæ lingva perniciem creavit hu mano generi.

Quocirca dixit rectiſſimè vir ſapien tiſſimus, multos quidem interiiſſe gla diô, at multò plures lingvæ intempe rantiâ periiſſe. Et S. Jacobus, lingvam omni ferâ ſæviorem, nullâ domari hu manâ induſtriâ poſſe. Lin-

Lingvam igitur coërceamus, si mala, quæ affert, extimescimus.

II. Chria activa.

Lingvâ nihil melius.

Pittacus Mitylenæus, unus de septem Græciæ sapientibus, laudabitur, quòd rogatus, ut partem victimæ proferret optimam, pessimámque: lingvam exsecuit, ac porrexit. Et Bias, alter ex eodem numero sapientium, rogatus ab Amasi Ægyptiorum Rege, exploraturo ejus sapientiam, sive, ut ex ove, quam ad illum consultò miserat, partem optimam, pessimámque remitteret, unam remisit lingvam.

Voluit uterque videlicet demonstrare, lingvam corporis humani partem esse utilissimam juxtà, ac perniciosissimam, prout quisque illâ rectè, aut secus utitur.

Cur lingvâ nihil in homine melius? (*nam jam suprà probatum est, nihil esse pejus.*) Quia innumera bona nobis affert: quod eorum enumeratione declarandum erit. Quid enim lingva non efficit?

ficit? docet, hortatur, laudat, vituperat, jubet, &c.

Silentium contrà magna sæpissimè detrimenta parit, quæ recenseri hôc locô poterunt.

Proferentur exempla tot Philosophorum, ac Rhetorum, tot sanctorum Ecclesiæ Patrum, quorum lingva, quorum scripta explicant naturæ arcana, mysteriis abditissimis lucem afferunt, &c.

Non ergo sinè causa dixit Salomon: *Vena vitæ os justi.* Et: *Lingva sapientûm est sanitas.*

Vel benè loquendum, vel omnino tacendum esse docebit Epilogus, ex hac communi sententia:

Aut dic aliquid melius silentiô, aut tace.

PROGYMNASMA III.
DE SENTENTIA.

Non multum nobis facesset negotii hoc Progymnasma; propterea, quòd omnia prorsus, quæ in superiori dicta sunt, ad istud referenda sint.

QUid est Sententia?

Est

Eſt oratio dictum quodpiam, quod ad hortandum, dehortandumve pertinet, breviter explicatus.

Quomodo differt Sententia à Chria?

Nihil omnino differt; niſi quòd Chria non dictum modo ſed etiam factum aliquando commemorat: Sententia verò dictum duntaxat explicat.

Exemplum Sententiæ ab omnibus locis, quibus ornatur Chria, tractādæ accipe.

Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam, cùm ſenuerit, non recedet ab ea.

Adeſte animis, adoleſcentes, attentáſq; præbete aures regum ſapientiſſimo, quem eorum nihil latuit, quæ ſciri ab homine poſſunt, qui abditiſſimos naturæ receſſus, artiumq; arcana omnium; & ſcientiarum ingenii pervaſit acie, animóque complexus eſt; cujus in auguſtiſſima mente, velut in ſacrario, viſa eſt poſuiſſe ſapientia domicilium; cujus ab ore ſua ipſe DEUS fudit oracula, leges edixit, conſilia explicuit, myſteria promulgavit. Audite, quibûs vos ille verbis avocet à vitiis, & ad virtutem impellat:

lat: *Adolescens*, inquit, *juxta viam suam, etiam, cùm senuerit, non recedet ab ea*: Proverb: 22. Quasi vos ita commoneret, ac diceret.

Videte, adolescentes lectissimi, quam à primo ætatis exordio agendi rationem teneatis, quæ puris, paratísque ad sationem mentibus semina mandetis, quibus veluti primoribûs lineamentîs, & coloribûs recentes, ac puras animorum tabulas imbuatis. Quam enim quisque vestrum à teneris capessiverit vitæ rationem, eam ad exactum usque senium retinebit. Si vitiorum lue semel infeceritis animos, sordibúsq; fœdissimarum voluptatum inquinaveritis innocentiam mentis, manebit pestis ad ætatem usque postremam, contagione funesta serpet malum exitiabile ad senectutem ultimã, nec ullam morbo pestilenti curationem dies afferet, sed ingravescentibûs annis magis ac magis ingravescet.

Si contrà, à puero indixeritis voluptati bellum, si cohibueritis rationis freno libidinem, nihilque vobis expetendum puta-

putaveritis, nisi quod sit cum laude, & cùm dignitate conjunctum: crescet accessû annorum honestatis amor, confirmabitur mentis vigor etiam in langvido, & effœto corpore, nec consenescet virtus, senescente vita; sed quò debilior ætas erit, eò generosior efflorescet animus, maturosque tum maximè, svavissimósque fructus feret.

Nempe usûs, & consvetudinis maxima vis est in omnem partem, ut quædam quasi necessitas inducatur laudabiliter, aut turpiter conficiendi vitæ cursum, quem ab ipsis vitæ carceribus inchoavimus.

Flectitur nimirum eâdem facilitate puerilis animus, quâ cera mollis, aut argilla, quæ, dum adhuc tenera est, quasvis figuras induit. At si progressû temporis mollitiem amittat illam, ac durescere cœperit, suam in perpetuum formam conservat. Cernite, ùt metalla igne soluta fluunt: ubi verò refrixerint, continuò lapidescunt. Aspicite ùt arbores in omnem partem ducuntur fa-


cilè, cùm teneræ sunt; ùt contrà induratæ ânnîs nullâ flecti industriâ queunt, sed abnormes, ac tortuosæ perseverant. Videte, ùt per declivitatem montis saxum è cacumine avulsum & ruens quò longiùs à summo provolvitur, eo violentiùs rapitur, nec usquam, nisi ima valle conquiescit, sic, qui prolabi cœperit in præcipitia vitiorum, nulla ratione sistere impetum valebit, donec in imum nequitiæ barathrum lamentabilî casû devolvatur.

Testis est purpuratus ille carnifex, portentum illud naturæ ex immanitate concretum, Herodes ille, tyrannorum crudelissimus, qui assvetus à cunabulis innocentissimorum hominum fundere cruorem non modò non discessit à ferino more confectus jam seniô, sed in ipsa etiam morte, atque adeò, quantum in ipso fuit, eundem ultra tumulum retinuit.

Nec verò id mirum cuipiam videri debet: ùt enim scriptum reliquit Eximius Ecclesiæ Doctor Hieronymus; Difficul-

ficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt. Et quod ajebat ille alius: difficilè reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt. Illud Poëtæ tritum carmen prætereo: *Quô semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.*

Imbuite igitur, adolescentes, recentes animos suavissimo virtutum liquore, optimarumque artium pretiosîs odoribûs; ut illos diu, æternùmque servetis: rectæ rationis inite viam, dum vobis est integrum. Sic enim susceptum insistentes iter, nunquam deflectetis ab honesti calle, & ad quam concitatô cursû vegeta contendet ætas, senectus fortunatam continget metam.



PROGYMNASMA IV.
DE ETHOPOEIA.

NOn levis est labor Eloquentiæ in imitandis oratione apposita, & effingẽdis hominum moribus, & affectibus: vixque aliud quidquam vehementius

reperias ad excitandos animorum motus. Porro, si persona est nota, cujus mores effinguntur; tunc propriè fit Ethopoeia. Ut si fingatur Niobe liberorum necem deplorans, & suam calamitatem, qualis ab Ovidio describitur *libro 6. Metamorphosium. seu §. 7. novissimæ, ac repurgatæ editionis.* Aut Hercules in Oeta deflagrans, ut ab eodem Ovidio pingitur *lib. 9. Metam. §. 6.* Item Hecuba apud eundem *lib. 13. § 14.* Aut Andromache post Hectorem occisum. Medea desertam se videns ab Jasone, ad necem liberorum se accingens, qualem depingit Seneca. Cornelia uxor Pompeji, cùm illum victum à Cæsare audivit. Cleopatra ad Antonii sepulchrum. Porrò in his omnibus observare tria tempora licet, præsens, præteritum, & futurum, quibûs constare Ethopoeia debet, auctore Aphthonio, exemplumque ponit in Niobe. Pro tempore præsenti, videt se numerosa orbatam prole; pro præterito, florentem habebat familiam virô, liberîs, regnô felix, & ipsis propè superis invidenda

erat;

erat: pro tempore futuro, quid restat, nisi, ut ipsa quoque Dianæ telis conficiatur, aut luctû miserè contabescat? Nõnunquam oratio in hoabitur à tempore præterito; aliàs à futuro, & in præsens definet; interdum ea tempora permiscentur; ùt in subjectis exemplis cernere est.

Medea de mactandis, quos ex Jason susceperat, liberis deliberans.

DIi terrarum Præsi es, vósque præsertim genialis tori fidejussores, atque custodes; quosque Jason juravit olim mihi: vos, inquam, testor. v s appello. Adeste, quæso, & quas à perjuro, & impio capite pœnas repetam, ostendite. Quid illi tandem irrogare mali placet? insigne aliquod meditor scelus. Scelere pepigi datam illi fidem, scelere frangenda est. At quô? gladii, venena, vulnera; hæc usitata, & vulgaria. Vivat sanè, vivat miser, exul, egens, invisus superis, hominibúsque, suum sit ipse sibi supplicium, suus tortor; nullum sæviorem inveniet. Præterea liberos videat

sibi similes, miseros, & sceleratos, ac similes etiam Medeæ. Quid autem ajo? Liberos, ut superstites, ac vivos habeat? imò perdat. Quanto illos amore complectatur, scio. Bene est: habeo, quò sæviam: parta jam, & digna nobis ultio est. Mactentur liberi patris in oculis; hæc victima furori nostro placet, hæc sufficit. *Ita ferè loquentem Medeam Seneca tragœdus facit; numeros tantùm solvimus.*

Beata Virgo puerum JEsum Hierosolymis amissum requirit.

NEque puer est usquam, neque quid eo sit factum, conjicere possum. Ubi quæram, ubi investigem, quem perconter, aut quam insistam porrò viam, incerta sum. Una hæc spes est: ubi ubi tandem est, diu celari nequit. (*Hæc, ut vides, tempus præsens pertinent; quæ verò sequuntur ad præteritum*) O! malè consultos affines qui nos festinare cóoge.unt meque adeò miseram, quæ præcesserim: tum autem quæ illum unà mecum non abduxerim. Siccine dulcissim ô Fili ô ca-

rere

rere tamdiu sustinui? &c. (*Jam futuro tempori conveniunt extrema hæc.*) Tu verò, Fili amantissime, cur nos anxios tenes? cur te occultas? quin mœrorem nostrum respicis? Pergamus; quæso charissime Sponse, redeamus in civitatem, cognatos interrogemus, templum ipsum subeamus: ibi enim, nisi fallit animus, illum gravibus de caussis remansisse suspicor.

Mater occisum in bello filium deplorat.

O! Misera sors orbitatis meæ; o! spes fallaces, o! frustra susceptæ curæ! An idcirco te genueram, fili, ut tam citò perderem? alueram tot annos, ut infausta morte sublatum lugerem? Ego cùm te formâ, & ætate florentem videbam, cùm te familiæ spem fovebam in sinu, putabam scilicet, hæc bona fore mihi, meisque propria, & diuturna; erravi: dira mors malè credulam fefellit. Quid restat, nisi ut tecum, fili, moriar? tua morte vitam parenti abstulisti: neque enim, te extincto, diu superstes esse possum. Unica me, dum vivam, interea

tui recordatio, desi 'er úmque sustétabit Dulces lacrymæ, jucundi fletus, quibus te absentem requiram. Noctes bene collocatæ, quæ ducentur suspiriis, quæ tuos mihi vultus in somnis, si quis esse somno locus poterit, objicient. O! bellum, matribus detestatum! monstrum immane! familiarum, & civitatum lues! Quis rem tam tetram, tam barbaram invenire potuit? quis amare potest? Perhorrescite, matres, bella: filios ab ipso armorum conspectu arcete, abdite domi & ignavos licèt, fovete sinû, modò salvos, & incolumes habeatis. Nimirum, ut inanî gloriâ perfruantur, miseros æternùm lugeamus? Quæ te, fili, tam funesta fortitudo immittebat in medium armatorum globum? &c. Quoties illum, ut bellum fugeret, hortata sum. Quoties ut saltem impio Marti cautiùs se crederet! quoties mihi metum, ac pæne mortem vel ipsa mentio belli, & mortis heu! filio paratæ, attulit! timebam, nec frustra, & quod erat eventurum, præsagiebam, &c.

Diocles

Diocletianus nomen Christianum delere statuit.

Imitatio Senecæ Act: I. *Herculis Furentis* S: I.

ORbis utriusque rector, & victor (hoc enim mihi nomen hactenus jure vindicavi) à Christianis vincor! neque solus, sed ipsi Dii, quotquot hactenus Roma, quotquot orbis coluit. Deserta jacent templa; neglectæ sacrorum vetustissimorum religiones; inducta regnat nova religio.

Nec tantùm imbelles fœminæ, puerive ignota profitentur instituta, recentémque Deum colunt; sed ipsa etiam togæ lumina, & militiæ, ipsa; ipsa Roma Christiana est! idque spectante me, ac ferente! Ferente autem? quid intentatum reliqui hactenus, quid inexpertum, ut peregrina sacra convellerem? quoties me pietas vel in meos coëgit sævire, ac propè impium, propè parricidam fecit? Sed hæc domestica mala sunt; ac mea. leviter eo nomine ferenda, imò etiam apponenda lucro, si vel hac mercede

ritus patrios sancire potuissem. Non sic abibunt; istâ tamen nondum fracti sumus, ac victi. Nunc, nunc extrema omnia tentanda sunt, atrox bellum, immane, internecinum cum hostibus Numinum gerendum est. Quid bella tamen loquor demens, ac meditor? Quidquid excogitare justus potuit furor in Christianos, nonne victum ab illis, & domitum est? quidquid terribile, dirum, asperum, vel invenire cogitando, vel inferre torquendo potuimus, tulerunt, ac læti quidem, & ovantes tulerunt: crescunt ipsîs malîs, tormentîsq; suîs, ac dolore nostro fruuntur; in suas, Christique laudes nostra vertunt odia, & supplicia; dumque nimis sæva imperamus, & horrida imponimus, penè Deum Christum, probaverunt. Ipsa jam desunt mihi tormenta, minorq; labor est ipsis torqueri, quàm mihi, ut torqueantur, jubere: occupant læti supplicia, & ne non moriantur, timent. Perge, Diocletiane, tamen, perge, & invisum genus totîs viribûs opprime; congredere

novis

novîs armîs; muneribûs, voluptate, præmiîs expugna, quos rotîs, equuleîs, igne, ferro superare non potes. Ipsos Christianos Christianis, parentes filiis, liberos parentibus oppone; bella secum ipsi gerant. Quæris pares illis adversarios? nulli sunt, nisi ipsi.

Nunc illis Diocletianum ostendam: hactenus prolusimus; nunc, nunc in arenam veniendum. Inveni, quô ipsos modô possim vincere, ac perdere; perdam certè, aut peribo.

Roma, post victos ab Augusto Antonium, & Cleopatram.

NUnc, nunc indulgendum lætitiæ, nunc agendæ Superis grates ad omnia pulvinaria, nunc tempus est choreis operam dare (*Tempus præsens.*) Nefas antea fuisset indulgere genio, & epulis, dum Regina demens capitolium evertere, ac Romanum delere Imperium meditabatur, tam vecors, & rebûs aliquot prosperè gestîs velut inebriata, nihil ut sperare non auderet. (*Tempus præteritum.*) Illius vesaniam compressit

amis-

amissa classis, conscios exercitus, Antonii turpis fuga. Qualis accipiter timidum columbarum gregem, aut venator lepores proturbat, talis Cæsar imbelles Ægyptios agitavit. Defuit hoc unum illius trium pho, Cleopatra triumphantis currui alligata. Sed illa invidit hanc victori gloriam, & regiæ conditionis memor, ne ignominiam hanc ferret, mortem admotîs corpori angvibûs pertulit. Jam deponere motus licet, ac Cæsari, fortissimisque militibus gratulari (*Tempus futurum.*) Ægyptô subactâ, quæ gens armis Romanis non cedet?

Agnoscis, credo, in hac Æthopœia Horatium, Ode 31. libri 1. *Nunc est bibendum* -- Præibit ille tibi, & quod imiteris, dabit, sive preces, & vota facias in gratiam amici discedentis: quod orationis genus Propempticon appellant, Ode 3. libri 1. *Sic te diva potens Cypri, &c. Impios Parca*---Ode 21 libri 3. *Ibis liburnis*-- Epod. 1. Sive gratias iisdem Superis agere mediteris, aut iisdem supplicare. *Audivêre, Lyce, Dii mea vota, &c.* Ode 12.

libri

libri 4. *Faune Nympharum*---Ode 13. libri 3. *O! diva gratum*---Ode 29. libri 1. *Mercuri, nam te*---Ode 8. libri 3. *Phœbe, sylvarumque* -- Epod. 14.

Libet alicui malum imprecari? diris sceleratum devovere? inimicum gravius insectari? habes Odon. 12. *Ille & nefasto*--- Item Oden. 3. Epod. *Parentis olim*--- Et *lupis, & agnis* .Eodem libro Epod. *At, ô Deorum*---Ibidem Ode 5. & 6. *Quid immerentes*--- Et Ode. 7. *Quò quò, scelesti ruitis?*-- Et Ode. 9. *Mala soluta*--- Tum Ode. 12. *Quid obseratis*---Et Ode. 11. *Altera jam teritur.*

Lætitiæ significandæ, & gratulationi servient Ode. 3. libri 1. *Et thure, & fidibus*--- Ode. 5. libri 2. *O! sæpè mecum, &c.* Ode. 21. libri 3. *O! nata mecum*- Ode 29. libri 3. *Festa, &c.* Ode. 8. Epod. *Quando repostum*--- Ode. 10. *Horrida tempestas, &c.*

Consolationi, Ode 6. libri 2. *Non semper imbres*---.Ode. 14. ejusdem libri. *Cur me querelis, &c.*

Et quoniam in Horatio sumus, quàm multa scribendi argumenta, & ornamen-

ta ingeniosus vates dabit, si laudare, hortari, monere, docere quempiam velis. Ad laudem pertinet Ode. 5. libri 1. *Scriberis* -- Et sexta, nona, undecima ejusdem libri. (Sequor distributionem editionis novissimæ, illustratæ brevi cómentariô, & expurgatæ) Ode. 4. libri 2. & 16. 17. Ode. 4. libri 3. & 5. 9. 10 19. 24. Ode. 1. libri 4. & 2. 3. 5. 8. 13. Ep. 2. Hortanti faciem præferent Ode. 4. libri 1. & 8. 10. Ode. 1. libri 2. & 2. 3. 7. 9. 11. 13. Ode 23. libri 3. Ode. 4. libri 4.

Varias quoque dicendi formas, & lineamenta pulcherrima deprehendes in Martiale. Consule indicem primum editionis repurgatæ, & annis 1703. 1704. vulgatæ. In eo indice notantur omnia epigrammata, quæ ad laudem spectant; omnia, quæ ad vituperationem, & insectationem; alia, quæ docent, excusant, monent, dedicant, queruntur, optant, petunt, &c.

Easdem docendi formas reperies in egregio libro, cujus titulus est: Conciones, & Orationes ex Græcis, & Latinis

Histo-

Historicis, exceptæ. Descriptiones oratorias è probatissimis Auctoribus collegit Pater Joan: Bapt: Gandutius S. J. Parmæ 1661.

Ad Ethopœiam ut è diverticulo redeamus: hanc nativis pictam coloribûs invenies in plerisque Senecæ tragœdiis. Vel illa Thyestis persona & oratio, quàm est tragicè splendida! *Adsum profundô, Tartari emissus specû, &c.* Act. 1. scenâ 1. Hoc obiter annotabo: Si non affingatur personæ sermo, index vehementioris alicujus affectus, si v. g. describas pigrum adolescentem, mercatorem avarum, &c. non esse Ethopœiam propriè dictam, qualis ab Aphthonio proponitur, sed figuram Rhetoricæ, & descriptionem, sive hypotyposim, de qua suô locô diximus. Quòd si persona, cujus effinguntur mores, & affectus, mortua sit, vocatur propriè *Idolopœia*; latinè *Veteris simulacri effictio*, ùt appellat Priscianus. Exemplum illustre dabit Cicero oratione pro Cœlio, ubi Appium cœcum jam diu mortuum loquentem induxit *num. 33. 34.* Livio libro 6.

bro 6. *Si ab inferis existat Rex Hiero fidelissimus Imperii Romani cultor, &c* Virgilius libro 2. ubi Hector occisus Ænêam alloquitur: Polydorus eundem in 3. libro Æneid objurgat.

Si denique rem animæ expertem inducimus loquentem, tanquam si persona esset, vocatur propriè *Prosopopœa*, id est, *Persona fictio.* Sic Tullius patriam loquentem facit in Catilinam. Ovidius libri 2. Metamorph. Terræ sermonem, & querelas contra Jovem graves tribuit: §. 7.

PROGYMNASMA V.
DE THESI, ET LOCO COMMUNI.
CAPUT I.
De Thesi.

QUid est Thesis? *Resp.* Est quæstio nullis alligata circumstantiis personæ, loci, temporis, &c. quales vulgò ad deliberandum, & ad consultandum proponuntur; unde à Græcis positio (id enim sonat vox Græca *Thesis*) vocatur:

à Cice-

à Cicerone dicitur propositum, & Consultatio. Ut: An gerendum bellum? An studendum Græcis literis? &c. Quotuplex verò sit Thesis, diximus Parte 1. cap. 2.

Quo differt Thesis ab hypothesi? *Resp.* Quòd Thesis sit propositio generalis, seu infinita; hypothesis verò sit particularis, & finita, id est, circumscripta adjunctô quôdam, vel personæ, vel loci, vel temporis &c v.g. Quæstio hæc, an bellum sit gerendum, Thesis est: quia est universalis, & infinita quæstio. At si quæratur, an bellum sit gerendum contra Turcas, tali annô, marî, an terrâ, &c. hujusmodi quæstiones omnes finitæ sunt, & proprio nomine dicuntur hypotheses.

Quis est usus Theseos, seu propositionis infinitæ? *Resp.* Maximus: quia, quæ de universo genere dicuntur valent ad judicium ferendum de singulis; & quæ de toto probantur, de parte etiam probari necesse est. Exempli causa: Si sermonem sim habiturus de diligentia

laudi-

laudibus, excurram in laudem virtutis: si vituperaturus inertiam, vitii generatim sumpti turpitudinem describam; quod enim de virtute dixero, id de diligentia; & quod de vitio, id de inertia dici quoquè poterit; quia inertia est pars vitii, & diligentia pars, seu species virtutis.

Itaque quoties tibi erit de re quapiam instituenda oratio, optimum erit, quæstionem illam particularem, & finitam; quæ dicitur hypothesis, traducere ad generalem, & infinitam, quæ Thesis appellatur. Id autem prudenter, & in loco faciendum, ùt monuimus cap. 9. Partis primæ.

Quomodo tractanda est Thesis? *Resp.* Præponendum est aliquod exordium, ductum à loco, tempore, & aliis adjunctis: ùt, si deliberatio instituatur in Senatu, si coram Principe, &c. Secundò confirmanda est, vel infirmanda Thesis ab iis locis, & argumentis, quæ vulgò adhibentur ad svadendum, aut dissvadendum, ùt sunt: *honestum*, *legitimum*, *utile*,

utile, facile, necessarium; & iis contraria: *turpe, injustum, inutile, difficile, impossibile.* Non est gerendum bellum; quia res est per se fœda, & homine indigna, inutilis ad Reip. felicitatem: difficilis demum; quia vix fieri potest, vixque accidit, ut benè succedat. Contrà gerendum est, quia honestum, utile &c. Tertiò, solvenda sunt, quæ possunt objici contra illam Theseos partem, quam suscipis propugnandam. Si v. g. affirmas, bellum gerendum esse, respondendum iis erit, qui contrariam tuentur opinionem, qui contendunt, illud esse multorum scelerum fontem, vastitatem provinciarum, &c. Item ex adverso, si gerendum, solvenda erunt argumenta opposita.

CAPUT II.

De Loco Communi.

IN quó differunt Thesis, & Locus Cōmunis? *Resp.* Magnam illis inter se affinitatem esse: hoc tamen differunt, quòd locus communis adhibeatur ad amplificandum, & probandum; Thesis ad ornan-

ornandam, & illustrandam orationem. Rursum Thesis quasi dubia proponitur, & concertatur; Locus Communis, quasi certus, & confessus assumitur: hæc menti, & intelligentiæ datur consideranda: ille voluntati, ad eam excitandam, & movendam objicitur.

Quomodo LocusCommunis definitur? *Resp.* Est oratio, facinus aliquod multis commune laudans, aut vituperans: ùt, si avarum, seditiosum, parricidam accuses; justitiam, pietatem, pudicitiam commendes. Hæc enim omnia multis communia sunt.

Quis est ejus locus in oratione? *Resp.* Duplex. Primus in majori propositione argumentationis; ùt, si dicas: Omnis proditio est scelerata, maximè, cùm amicus, aut dominus proditur. Hæc argumentationis propositio major est; cui minor subditur. Atqui Judas Dominũ, amicum, Deum suum prodidit. Alter locus est in amplificatione, quando post rem narratam, & expositam orator invehitur in crimen, illúdque nativis de-
pingit

pingit coloribûs; aut virtutem meritîs effert laudibus.

Quomodo tractatur Locus Communis? *Resp.* Ab iisdem ferè capitibus, quæ in Thesi adhibentur: nempe *à legitimo, justo, utili possibili, honesto, necessario.* Addit Aphthonius ista capita, *à contrario, comparatione, sententia, à conjectura,* sive *ab antecedentibus, & consequentibus:* ex quibus nimirum, quid impendeat boni, malíve, conjiciatur. Denique in Epilogo Judices ad severitatem excitantur, exclusâ misericordiâ; vel auditores ad seriam virtutis imitationem accenduntur. Finge te seditiosum hominem accusare, & exagitare apud Judices. Præmissô exordiô seditionis crimen sic exaggerabis.

A contrario. Ostendendo, quale, quantúmque sit bonum pax, & concordia, quæ antea vigebat, & vigeret etiam nunc magnô omnium bonô, nisi nefarius hic suîs seditionibûs illam perturbâsset, &c.

Ab expositione. Expones, non ad docendum (rem enim jam notam esse ponimus)

nimus) sed ad conflandam reo majorem invidiam, quô pactô rebus novis studens sceleratus, sed tionum procellas excitârit in Republica, multos cives pellexerit in fraudem, & ad suas partes pertraxerit &c.

A comparatione. Comparabis hoc ejus crimen cum aliis; v. g. cum otio, maledicentia, temulentia: ostendesque graviorem ab illo, quàm ab aliis omnibus perniciem inferri Reipublicæ.

A sententia. Hoc est, à consilio, & mente; quô scilicet consiliô, quâ mente turbas moverit, quid sperârit, &c. Voluit videlicet leges rescindere, jura pervertere, occupare summum locum, &c.

A digressione conjecturali. Digrediendum erit, & excurrendum in anteactam ejus vitam; ex ejus præteritis criminibus cõjectura capienda de cæteris. Non tunc primùm, inquies, cœpit moliri exitium patriæ, ab ipsa infantia sese exercuit in omni flagitiorùm genere, &c.

Ab exclusione misericordiæ. Tantum illud dices esse crimen, ut sinè majori crimine condonari nequeat: nullum

veniæ

veniæ relictum esse locum. Quæ postquam dixeris, impellendi erunt Judices ad sententiam adversùs illum ferendam; ostendendo. *A legitimo.* Nihil esse legibus magìs congruum, quàm, ut seditiosus ille puniatur. *Ab justo.* Justum id esse, ut pœnam ipse ferat, quam omnibus impositurus fuisset, &c. *Ab utili.* Id saluti Reip. conducere, &c. *A facili.* Nullô negotiô ejus furorem posse comprimi. *Ab honesto.* Nihil rationi convenientius esse, quàm debitas exigere ab illo pœnas, qui, &c *Ab eventuro.* Ex ejus supplicio eventura civibus bona omnia; Rempublicam revocatum iri in statum felicitatis pristinæ, &c. Quod de seditioso diximus, idem de quovis alio facinoroso homine intelligendum est: & quæ capita contra vitium valent, eadem illa valent omnia, si qua virtus est ornanda, singula in contrarium sensum accipiendo.

PROGYMNASMA VI.

De Destructione, Confirmatione, Laude, & Vituperatione.

CAPUT I.

De Destructione, sive Refutatione, & Confirmatione.

QUid est Destructio, sive Refutatio? *Resp.* est oratio: quâ refutamus quidpiam, & falsum docemus esse.

Quænam destruenda, seu subvertenda sunt?

Ea, quæ neque prorsus manifesta, neq; incredibilia sunt, sed, quæ dubia, & obscura.

Quanam arte fit ista Destructio?

Primò reprehendendi sunt, qui illius rei, quam infirmare, ac labefactare volumus, sunt auctores, dicendo, illos nullius esse nominis, vel fidei parùm probatæ, vel in illa re, de qua agitur, non benè versatos, &c. Deinde ipsamet res subruenda hìs capitibûs, quasi totidem arietibûs: *Obscurô, difficili, indecorô, incredibili, repugnante, inutili:* Hoc est:

est: probandum erit, rem illam, primò, obscuro, & incerto capite manâsse in vulgus. Secundò, incredibilem esse, fidemque superare omnem. Tertiò, difficilè admodum potuisse fieri. Quartò, repugnare illa naturæ. Quintò, decoro pariter, ac rationi. Sextò, inutilem denique esse, aut fuisse.

Confirmatio, seu asseveratio quid est?

Est propositæ rei comprobatio: sed illa res, uti de destructione modò diximus, nec prorsus incredibilis, nec penitùs perspecta esse debet.

Quâ ratione, & quibus capitibus confirmanda res est?

Eâdem ratione, totidémque capitibûs, quibûs destruenda, sed contrariîs, omninóque oppositîs: Videlicet à *manifesto. facili, decente, probabili, convenienti, utili.* Habes exemplum insigne in T. Livio: M. Porcii Catonis orationem ad populum, quâ fœdum Bacchanaliũ morem subvertere nititur. *Nulli unquam concioni, &c.* Libro 49. paulo ante medium. Item alteram, quâ conatur osten-

ostendere, mundum & ornatum muliebrem esse fœminis interdicendum. Exempla ejusdem loci habes egregia in Paradoxis Ciceronis, ubi Stoicorum placita confirmat. Loci confirmationis per idoneam argumentationem tractandi, & appositis illustrandi figuris. Porrò hic ordo in proponendis ejusmodi argumentis servabitur, ut priore loco firmiora collocentur, & in fine: infirmiora in medio: juvabit etiam validiora sæpiùs inculcare, ut altiùs insideant animis audientium.

Exempla non congero, quæ in orationibus Tullianis observare potuisti. Perfectam confutationis ideam subministrat oratio pro Roscio Amerino, ubi singulis adversariorum argumentis splendidè respondet, *num.* 37. Confirmationis verò in oratione pro Milone Idem Tullius in partitionibus orationis *num* 44. præcepta quædam tradidit utilissima: & quædam apertè neganda, vel affirmanda; nonnulla eludenda jocô, & contemptû: alia, tanquam tela; in ad-

ver-

versarium retorquendi docet, &c. Erunt etiam usui ad hunc utrumque locum, quæ superius dicta sunt de Chria, Sententia, & Loco Communi.

CAPUT II.

De Laude, & Vituperatione.

QUid est Laus?

Est oratio, bona alicujus enumerans.

Quibus rebus Laus tribui potest?

Exceptô peccatô, nihil est in hac rerum universitate, cui non possit aliqua laus concedi. Virtus autem præcipuô quôdam jure laudem, tanquam sibi debitam, vendicat. Præter autem virtutem res omnes creatæ laudari possunt, etiam inanimæ: sed præ cæteris homines laudare solemus.

Propter quæ homines laudantur?

Propter bona, quibus ornantur.

Quænam bona illa sunt?

Alia sunt bona fortunæ, ùt, opes, potentia, dignitas, patria. Alia bona corporis, scilicet, robur, sanitas, &c. Alia sunt animi bona, ùt, scientia, & virtus.

Ex his omnibus bonis unicum eſt, quod ſemper laude dignum eſt, nimirum virtus. Reliqua verò eatenus merentur laudem, quatenus iis ad rectè, laudabiliterque vivendum utimur; alioqui vituperationi ſunt obnoxia.

Quid igitur eſt faciendum ei, qui laudare quempiam velit?

I. Bona illa omnia, quæ poſſidet, enumeranda, & verbis exornanda ſunt. II. Contrariorum oppoſitione augebitur laudatio; ſi oſtendas, eum, quem ornas, immunem eſſe ab omni labe vitiorum, quæ alios dedecorant. III. Comparatione quoq; laus creſcet, ſi cum clariſſimis quibuſq; viris compares, atque etiam, ſi merebitur, anteponas. Vituperatio ducetur á contrariis capitibus.

CAPUT III.

De variis oratiuncularum formis, & propria ſingularum tractatione.

OMiſimus tria ultima Aphthonii Progymnaſmata; de Comparatione, Deſcriptione, & Legislatione: tum quia

quia de duabus primis facta jam est mentio pluribus in locis: tum, quia hæc tria non aliô tractanda sunt modô, quam Chria, Sententia, Communis Locus, & alia superiùs explicata: è quibus pariter intelliges, quæ ratio sit adbibenda in tractandis quibusdam dicendi formis, quæ ad unum aliquod é tribus generibus revocantur, nempe ad genus Judiciale, Demonstrativum, aut Deliberativum.

Talis est oratio *Genethliaca*, sive, quæ ortum pueri, & natalem diem celebrat; Exordium ab adjunctis ferè sumitur In confirmatione laudantur parentes, patria. majores. Peroratio spem facit, fore, ut puer à parentum, & avorum virtute non degeneret: adduntur vota, & omina futuræ laudis, &c. Martialem consule, Statium, Claudianum, in quibus multa reperies huc spectantia. Iisdem ferè coloribûs adumbratur *Epithalamium*, celebrandis nuptiis dedicatum. Laudantur sponsi. Epilogus vota continet de suscipienda prole, &c.

Epinicion oratio est celebrandæ dicata victoriæ, cujus laudes prosequitur Orator, necnon ipsius victoris; exponit varios fructus, & prœmia victoriæ, difficultatem ejus consequendæ, modum, &c. Opponitur *Gratulatoriæ* orationi *Nania*, seu *Trenus*, *&* *Lessus* id est, lamentatio, quæ malum deplorat, ejus gravitatem ostendit, maximè si contigerit immerenti, & innocenti, spem emergendi ostendit, &c. Vide Ovidiũ in Tristibus, & de Ponto.

Eucharisticæ orationis, quæ gratiarum actio latinè dicitur, artificium ostendet tibi Tullius in duplici oratione *Post reditum*. Commendari debet beneficium ab adjunctis. In peroratione memorem animum promittimus.

Paranymphæam orationem appellant recentiores Rhetores; eam, quæ habetur, cùm creantur Doctores, aut Magistratus, &c. Tres vulgò partes continet. Prima rationes explicat, ob quas honore delato dignus videtur Doctor, aut Magistratus. Secunda spem facit hono-

honoris & nominis implendi. Tertia continet Parænesim, cohortationem, sive etiam gratiarum actionem illis habendam, qui honorem detulêre.

Dedicatio libri, quem ad modum instituenda sit, docebit te Martialis multis in locis, quos in indice addito ad calcem postremæ, ac purgatæ edtionis reperies. Exordium ab ejus persona ferè petendum, cui opus dedicabitur; aut à temporis aliqua opportunitate, &c. Tum explicatur dedicandi causa: postremò patrocinium petitur. Cavenda prolixitas; nihil enim molestius, quàm epistola dedicatoria justo longior: in quo multi peccant, non tamen impunè; Quis enim hæc legit?

Oratio *Monitoria* revocatur ad svasionem, & genus deliberativum. Opùs est in exordio singulari prudentia, & arte ad conciliandam ejus, qui monetur, benevolentiam; vix enim quemquam reperias, qui animô æquô reprehendi se, ac moneri ferat. Locò narrationis exponetur ipsa res, quæ repre-

henditur, & ob quam fit commonitio: dabitur opera, ut is, qui monetur, agnoscat erratum; cuius gravitas in confirmatione ostendetur a turpi, inutili, damnis, & periculis consequentibus, &c. In epilogo adhibebitur vel objurgatio gravior, vel mitior adhortatio. Minis vulgò temperandum, nisi certô pactô condiantur.

Commendatio partim est generis demonstrativi: quippe laudamus eum, quem alicui commendatum volumus: partim deliberativi; quia svademus, v. g. ut illi beneficium aliquod conferatur. Tam multæ occurrunt in Tullio commendatitiæ literæ, ut opùs non sit plura de hoc orationis genere præcepta congerere.

Non pauciora sunt in iisdem Tullii epistolis exempla orationis *Consolatoriæ*, nec non in Senecæ, libris, & literis. Post exordium, ab adjunctis ductum, elevare, ac lenire oportet calamitatem, ejus commoda, si quæ sunt, ostendere; afferre causas, cur toleranda fortiter

sit,

fit, remedia subministrare, opem polliceri, &c.

Apologia nihil peculiare, præter explicata jam variis in locis præcepta defensionis, postulat.

Invectiva est gravior insectatio, qualis extat in Pisonem, Catilinam, &c.

Objurgatio est lenior insectatio, seu commonitio gravior. Vide præcepta de accusatione tradita.

Expostulatio est gravis querimonia de accepta injuria.

Exprobratio fit, cùm aliquem ingrati animi nomine accusamus. Ea omnia communibûs præceptis paulùm accomodatis ad rem præsentem instruuntur.

Paulò plus artificii requirit oratio, qua Princeps, aut Magistratus excipitur in urbis, aut loci alicujus ingressu: *Isitirion* voce græca vulgò vocant. Ducetur exordium ab expectatione, & votis totius civitatis, ab aliqua occasione, v. g. victoriæ, muneris, &c. Confirmatio explicabit causas publicæ lætitiæ Epilogus spem ostendet, quam Princi-

 pis,

pis, aut Magiſtratus clementia, pruden-tia. probitaſque præbent, fore, ut rectè, ſapienterque rem gerat,&c. Lege Martialem Epig. 11.lib. 8. *Perveniſſe*--- & Epig. 21. *Phoſphore, &c.*

Si quem diſcedentem proſequaris, quod *Apobatirion* appellanr, ſignificabis dolorem de hominis diſceſſu. In Cõfirmatione laudabis ſpectatas in eo, quem relinquit, loco, ejus virtutes. In Epilogo memorem te fore tam dulcis amici, viri tam probi,&c. profiteberis.

De *Oratione funebri* nihil eſt, quod plura præcipiamus; cùm extent paſſim egregiæ lucubrationes ejꝰ generis, quod ad genus demonſtrativum revocatur. Exempla tam laudis, quàm vituperationis plurima in hoc toto libello ſparſa reperies. Si plura cupis, habes unum in volumen collectos panegyricos veterum oratorum: quos inter primas ferunt Plinius,& Pacatus; hic Theodoſii laudator, ille Trajani; hujus ſtylus ſplẽdidè ambitioſus, illius mirè ingenioſus, & ſubtilis: uterq; nitidus. ornatus,

Tra-

Trajanô denique ac Theodoſiô dignus. Nec deſunt in Cicerone præſtantes hujus laudati generis loci, præſertim in oratione pro lege Manilia, cujus Orationis ſecunda pars verſatur in laude Pompeii. Hanc, ut faciliùs intelligas, totam orationem, & alias quaſdam Tullianas inſigniores exponam, ac ſuas in partes ſingillatim digeram.



PARS SEXTA.

Synopſis, & Partitio ſelectarum Ciceronis Orationum.

CAPUT I.

Conſpectus aliquot Orationum Ciceronis, quæ maximè pertinēt ad genus Demōſtrativū.

ARTICULUS I.

Analyſis Orationis pro Lege Manilia.

HUjus Orationis argumentum, & cauſa hæc eſt. Grave bellum gerebat Populus Romanus in Aſia cum duobus potentiſſimis Regibus, Mithridate, &

Tigra-

Tigrane. Lucius Manilius Tribunus plebis legem tulerat, ut ejus belli cura mandaretur Pompeio. Dissentiebant Q. Hortensius, & Q. Catulus. Cicero legem probandam suscipit, ostenditq; bellum Asiaticum Pompeio committendum esse.

Sumit exordium ab adjunctis. I. A sua persona; quippe, qui primùm è Rostris plebem alloquatur. II. A loco ipso. III. A Pompeio, pro quo dicturus est, &c. Subjicit exordio brevem narrationem: quia res est nota (*num. 4. Atque, ut inde.*) Cofirmationis duas partes facit: in priori docet gerendum strenuè bellum istud Asiaticum: quia est grave, necessarium, periculosum (*à num. 5. ad 26.*) In posteriori ostendit præficiendum huic bello Pompeium; quia in eo uno reperiuntur omnes dotes optimi ducis: nempe primo, scientia rei militaris. (*num. 27. 28*) quam probat enumeratis bellis plurimis, quæ gessit magna cum laude Pompeius. Secundo, virtus militaris, seu fortitudo.

Pro-

Probatur expositis Pompeii rebûs gestîs, & Provinciîs testibûs ejus triumphorum (*num. 24*) Explicat causas hujus bellicæ virtutis; nempe varias virtutes, illius primariæ velut administras, innocentiam vitæ, temperantiam, humanitatem, quas extollit comparatione cum aliis quibusdam Imperatoribus Pompeii dissimilibus (*num. 37. 38. usque ad 43.*) ubi tertiam Imperatoris dotem ait esse auctoritatem, quâ plurimúm valet Pompeius propter eximiam de illo apud omnes opinionem (*usque ad nũ. 47.*) De felicitate, quæ dos ultima boni Imperatoris, modestè, prudenterque differit per præteritionem (*num. 47 48.*) Confirmationem claudit (*49. 50.*) Ergo Pompeio deferendum est hoc bellum. Sequitur confutatio (*à num. 51 ad 69*) in qua refellit illorum rationes, qui negabant, Pompeium huic bello præficiendum. Elucet in hac Oratione singularis nitor, & ordo; tum splendor quidam figurarum, quibûs maximè movetur populus, ad quem verba Cicero faciebat.

ciebat. Eundem Pompeium laudat orat. pro Cornelio Balbo, qui ab eo donatus civitate fuerat: id, quod à Pompeio ritè factum fuisse, Orator contendit egregio dilemmate: Aut Pompeius sciebat, licitum non esse donare Balbum civitate; aut nesciebat: Si scientem fecisse dicis; non est credibile, virum tanta virtute, ac probitate præditum, fœdera, & leges scientem, neglexisse. (*O nomen nostri imperii, &c* Illustris Apostrophe, & exclamatio *num. 13.*) Si nescientem, multo minùs credibile est, Pompeium id ignorâsse, quod è vulgo nullus ignorat. (*Quasi verò levius sit, &c. num. 14. Quid enim abest huic homini. &* *num. 9.*

ARTICULUS II.

Synopsis Orationis pro Archia Pöéta.

MAxima pars orationis pro Archia Pöéta complectitur illius, & Pöéseos laudes; quamvis oratio sit in genere judiciali. Quærebatur enim, an Archias Civis Romanus esset? Ostendit Cicero, I. Romanum civem esse: deinde,

inde, quamvis non esset Civis Romanus, dignum tamen esse, qui civitate donetur, propter eximiam eruditionem, & Pöéseos facultatem.

Incipit à suo erga præceptorem Archiam officio; cuî cùm multa debeat, defensionem in causa justa, & vera negare non potuit. (Periodus membrorum quatuor: *Si. quid est, &c.*) Objicere poterat aliquis, nihil intercedere commercii inter Eloquentiam, quam Cicero profitebatur, & Pöésim cui Archias deditus erat. Hoc negat (*num. 1.*) Denique, cùm videret, se magnam orationis partem in laudibus Pöéseos consumpturum, ac timeret, ne cui videretur hoc insolens in causa forensi, occurrit huic opinioni (*num. 3.*) Propositionem, ac distributionem orationis dilucidè subjecit exordio (*num. 4*)

Primam partem probat, nempe Archiam Romanum esse civem, hôc syllogismô: Fuit adscriptus in civitatem Heraliensium, fœdere cum populo Romano conjunctam. Porrò Silani, & Car-

Carbonis lege Cives Romani æquiſſimo jure dicebantur, quicunque in fœderatam civitatem erant adſcripti, ſi domicilium habuiſſent Romæ, ſi apud Prætorem eſſent profeſſi. (*Quid horum infirmari poteſt? num. 6. 7. 8*) Confirmat minorem propoſitionem teſtimoniô Luculli, & ejus ſingulas partes; nempe quòd Archias Romæ domicilium habuerit, quòd apud Prætorem ſit profeſſus &c. Complexionem addit *num.* 10 (*Quæ cum ita ſint. &c.*) Illuſtrat eandem comparatione à minori ad majus: denique nonnulla, quæ objiciebat adverſarius, diluit.

Secunda pars orationis conficitur pariter unô ſyllogiſmo. Pòëtæ docti, & ingenioſi digni ſunt, qui adſcribantur in Civitatem; Archias Pòëta doctus, & ingenioſus eſt, Ergo eſt dignus, qui donetur civitate, quamvis non eſſet revera civis.

Ratiocinatio proponitur per prolepſim, ſive occupationem. *Quæret à nobis, Gracche,* (is accuſator erat) *cur tanto-*

tope-

topere hoc homine delectemur. Respondet: *Quia suppeditat nobis, &c.* (*num. 12.*) Laudat Pöësim. I. a delectatione, quia molestias gravissimorum negotiorum levat: id, quod (*num 23.*) suô testimoniô confirmat. II. Ab utilitate, quia mores utilissimis præceptis instituit. (*nũ. 24.*) Tertio ab honore, quem illi habuerunt summi viri. (*num. 15. & 16.*) Minorem propositionem exequitur (*num. 18.*) (*Quoties ego hunc Archiam vidi?* ---) Complexionem amplificat (*nũ. 19.*) a Pöëtarum dignitate quos omnis ætas tanquam divinos homines suspexit, coluitque: id Homeri exemplô docet, testimoniô multorum Imperatorum confirmat, affertque rationem; quia Pöëtæ res gestas clarorum virorum æternâ laude donant: cujus laudis desiderio flagrare se profitetur, eamque cupiditatem insitam esse præstantibus animis, pulchrè docet (*num, 28. 29. 30*) Peroratione brevi, & appositâ concludit orationem (*num. 37*) per anacephalæosim, ac deprecationem.

ARTI-

ARTICULUS III.

Oratio pro M. Marcello.

ORatio pro M. Marcello tota ferè versatur in laudibus Cæsaris, cui gratias agit Orator ob Marcellum, qui arma contra Cæsarem tulerat, veniâ donatum, & Romam è Græcia, ubi delitescebat, revocatum.

Exordium. Statuerat Cicero nunquam deinceps verba publicè facere; partim dolore, in tanta temporum acerbitate: partim verecundia, quia videbat Cæsarem rerum potiri, contra quem steterat, Pompeii partem secutus: nunc verô negat, posse se tacere, negat, Cæsaris beneficium, & clementiam silentiô præteriri posse.

Confirmatio propositione unica continetur. *Laudanda est maximè Cæsaris clementia ob restitutum Marcellum.* Argumentum à comparatione ducitur. Majorem ex hac clementia gloriam Cæsar est assecutus, quam ex omnibus suis victoriis: Nam primo illæ sunt ita propriæ Cæsaris, ut earum quoque pars ad

alios pertineat, nempe ad centuriones, milites, fortunam, &c. (*num.5. At verò hujus Gloriæ--Socium habes neminem---- num.7.*) Secundò, difficiliùs est vincere iracundiam, quàm gentes, etiam immanes, & barbaras. (*Domuisti---num.8.*) Concludit hunc locum præclara expolitione, & sententiarum varietate. (*nu. 9. 10.*) Laudat obiter Marcellum, ejusque famliam. (*num.10.* Tertiò, Hactenus victores alios vicerat Cæsar, nunc seipsum imò victoriam vicit. (*num 11. 12.*) Quartò, comparat Cæsarem victorem cum Pompeio, & Pompeianis, si victores exstitissent, quos ait futuros fuisse crudeles, feros, &c. Nonnulla miscet de bello civili, & eos, qui Pompeium secuti sunt, excusat, errore scilicet lapsos, non odiô, &c. (*à nũ, 13. ad 19*)

Sequitur Confutatio. Rogatus à Senatu Cæsar, ut ignosceret Marcello; dixerat se insidias ab aliquibus vereri, & addiderat, se parùm esse de vita solicitum, quippe, qui satis diu vixisset. Primo igitur Cicero metum insidiarum

(*num.*

(*num. 21.*) conatur demere, & locum lubricum mirô artificiô tractat. Mox utitur dilemmate: aut insidias molirentur Cæsariani, aut Pompeiani: in neutros cadere potest hoc scelus: ergo

Significat denique ingens studium tuendæ Cæsaris vitæ, &c. Secundò (*num. 26.*) refellit, explicat, & laudat illam Cæsaris vocem, qui dicebat ille, se satis vixisse. Satis vixisti, vel naturæ, vel gloriæ, non satis patriæ, restant curanda illius vulnera, &c. Hic tuæ gloriæ cumulus addendus. (*num. 28. 29.*) Peroratio est (*num. 34.*)

Non pauciora sunt in Tullio exempla vituperationis, quàm laudationis. Acriter Pisonem insectatur oratione propria, nec non oratione de Provinciis Consularibus. & aliis pro re nata locis. Invehitur in Clodium, ùt in capitalem inimicum, extrema parte orationis pro Milone: vehementius in orationibus pro Domo sua, & de Haruspicum responsis. Antonium totîs 14 orationibûs exagitât: Catilinam quatuor

tuor: Verrem actionibûs septem: Vatinium unicâ, sed vehementî.

ARTICULUS IV.

Synopsis philippica II & orationis pro Domo sua.

INter Ciceronis orationes, quibûs improbos insectatur, & vituperat, excellit omnium judiciô Philippica II. in qua probat, Antonium esse sceleratum, & hostem Reipublicæ, idque statim in ipso exordio proponi, in quo benevolentiam sibi conciliat, affirmando, neminem sibi ab annis 20. fuisse inimicũ, quin idem hostis Reibublicæ fuerit.

Oratio duas partes habet. Prima est refutatio (*num. 3 cui priùs, &c.*) Diluit quædam objecta sibi ab Antonio, qui paucis antè diebûs contra Ciceronem in Senatu declamaverat. Sunt autem hæc: I. de amicitia violata (*num 3. usquè ad 11.*) II. de Consulatu crudeliter gesto (*num. 11. Objecit mihi Consulatum meum---*) III. de nece P. Clodii (*num 21. P. Clodium meo consiliô interfectum---*) IV. de Pompeio per Ciceronem, à Cæsare

ſtare alienato (*num.23.* *Quod vero dicere auſus es* --) V. de nece Cæſaris (*num.25. Sed hæc vetera, illud verò recens*---) VI. de caſtris Pompeii, & Civili bello (*num.37. Caſtra mihi*--)

Tranſit (*num. 43.*) ad ſecundam partem orationis, nempè Confirmationem. (*jam enim, quoniam*---) Ejus duas partes facit: in priore breviter deſcribit vitam Antonii privatam; quod a pueritia flagitioſus, decoctor, & libidinoſus fuerit, (*à num. 44. Viſne igitur, te inſpiciamus à puero*---) In poſteriore vitam ejus, quaſi publicam, ſive geſtos improbè Magiſtratus inſectatur. Quæſturam (*Quæſtor es factus*---) Tribunatum (*nū. 51* uſque ad 62. *Nam cum L. Lentulo*--) Magiſterium equitum. (*num 62. Acceſſit e*--) Conſulatum (*num. 79. His igitur*--- uſque ad *num. 111. Quid ad hæc tandem respondebis?*) Ibi incipit Peroratio & numeris octo abſolvitur. Tota oratio mirè eſt eloquens, acris, faceta, omnibûs dicendi luminibûs ornata.

Æquè copioſa, vehemens, & concitata

citata eſt oratio, quam habuit pro Domo ſua. Si unquam in dicendo fuimus aliquid, ait ipſe Tullius (*Epiſt. 2. lib 4. ad Atticum.*) tum profectò doloris magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit. Quamvis oratio tota pertineat ad genus judiciale, plurimæ tamen illius partes ad genus demonſtrativum referuntur, quibus nimirum, & inſectatur Clodium, & ſuas res ipſe laudat. Argumentum orationis eſt ejuſmodi.

Clodius, pulſo in exilium Cicerone, illius domum quaſi perduellis civis everterat, areamque Libertati dedicaverat; Cicero poſtea reſtitutus, & ab exilio revocatus, domum ſuam reſtitui ſibi petit. Reſtituta eſt.

Orditur à laude Pontificum, apud quos verba faciebat. Clodio conflat invidiam, & quædam ejus convicia refellit. (*Can. 1. ad 2. num. 32.*) Confirmatio. Clodius nullo jure domum Ciceronis diruit. Secundò, nulla religione dedicavit. Probat primam partem: Clodii Tribunatus fuit nullus; ergo irritæ ſunt

omnes ejus actiones, & leges, atque adeò illa, quam tulit de Ciceronis exilio, de domo evertenda (*à num. 34. ad 42.*) Sed estò fuerit optimo jure Tribunus plebis, legem tamen de meo exilio, & mea domo nullo jure, imò contra jura omnia tulit; quia contra judiciorum formam, per vim, &c. (*à num. 43. usque ad 100.*) Multa de suo discessu, redituque interserit, non minùs ad suam laudem, quàm ad Clodii ignominiam apposita. II. Nulla religione, imò contra religionem omnem domum suam à Clodio dedicatam fuisse ostendit (*à num. 100. usque ad 142.*) quo rem totam splendidè concludit.

ARTICULUS V.

Ordo, & structura Orationis in Pisonem, nonnullarum in Verrem: duarum post reditum, & triplicis Agrariæ.

ORatio in Pisonem. Revocatus è Provincia Piso fuerat suadente Cicerone. (*Vide Orationem de Provinciis, Consularibus*) Romam reversus graviter in Tullium invectus est. Illi respondit Orator eâ, quæ extat, Oratione; cujus pars

pars triplex. I. Piso improbè Consulatū gessit (*à num 2. ad 21.*) II. Turpiter, ac nefariè Provinciam Consularem administravit. III. In domestica, & privata vita multa egit nequiter, luxuriosè, crudeliter, & avarè. (*Nunc etiam -- num. 64. usq; ad 94.*) In peroratione supplicii metum incutit Pisoni longè gravissimi, à conscientia scelerum, & mortalium omnium odio.

Inter Verrinas eminent prima, quarta, & septima. Prima inscribitur Divinatio, seu deliberatio de Verris accusatore constituendo. Verres enim, eloquentiam Tullii reformidans, Cœcilium quemdam dari sibi accusatorem postulabat. Siculi causam à Cicerone suscipi vehementer optabant: ostendit Cicero, se Cœcilio anteponendum, hoc syllogismo. Ille debet constitui accusator, quem maximè volunt ii, quibus facta est injuria, & quem minimè vult is, qui injuriam fecit. Atqui Siculi volunt Ciceronem, nolunt Cœcilium; hunc optat Verres, illum respuit. Ergo, &c. Stilus est

subtilis, ac temperatus in sequenti oratione, quæ à nonnullis appellatur prima, ab aliis dicitur secunda; nihil est aliud quàm præparatio & quasi vestibulum aliarum, pertinetq. ad genus deliberativum: In ea quippe quæritur, an nova ratione utendum sit in accusando Verre? Probat Cicero, novam esse adhibendam: nempe non utendum oratione perpetua, sed producendos testes, & illorum perscripta testimonia proferenda; seque ita facturum denuntiat, ob eam maximè causam; quòd Verres duo moliatur: primò, extrahere tempus usque in sequentem annum, quo futuri erant Consules Metellus, & Hortensius, amici Verris. Secundò corrumpere Judices pecuniâ: quod cùm crebrò id temporis accideret, Judices gravi laborabant infamiâ.

Illis oblatam opportunitatem, ait in exordio dolendi hanc infamiam, & reum insignem, compertúmque, spretâ ejus pecuniâ insidiísque, condemnandi. Vanam spem Verris amplificat, ex vita

scele-

ſcelerata, & copia criminum, quibûs ille obruitur. (*num. 10. Etenim, quid eſt* ...) Ejus inſidias patêre dicit eorum ipſorum confeſſione, quibus negotium dederat, ut Judices pecuniâ corrumperent. (*num. 16. Quam ſpem nunc*)

Alterum argumentum, nempe, quòd elabi conetur Verres Ciceroni, & cauſam differre in ſequentem annum, tractat (*num. 21. Ecce autem illis*) Metellumque, & Hortenſium reprehendit, qui reo tam improbo patrocinentur. Ipſe pollicetur, ſe diligenter, ac ſeverè dicturum, & nova illa ratione accuſandi uſurum. Hortatur Judices ad rectè, conſtanterque obeundas muneris ſui partes, præcipuè M. Glabrionem huic judicio præpoſitum, Eadem in peroratione repetit. (*num. 50. Quapropter primùm.*)

In IV. Verrina Siculos complures à Verre ſpoliatos bonîs, honoribûs, & vitâ, non minùs dolenter, quàm eleganter exponit. In VII. diſputat contra Hortenſium, Verris patronum, qui defendebat illum, eo præſertim nomine, quòd

esset bonus Imperator, & bellica virtute præstans. Laudem hanc nequaquam Verri convenire, ostendit à duplici capite, & bello: altero, servorum fugitivorum, in quo Verres Siciliam non modò non defendit, verùm etiam perturbavit avaritiâ suâ, & luxuriâ; altero, prædonum, in quo idem Verres maxima admisit crimina, avaritiæ, Majestatis, libidinis, & crudelitatis.

§. I.

Oratio post reditum ad Quirites.

TUllius graves inimicitias gerebat cum P. Clodio, qui nobilitare generis, & amicorum potentiâ florens effecit, ut Cicero in exilium pelleretur, anno ætatis 49. urbis conditæ 695. eo nomine, quòd in conjuratione Catilinaria multos Proceres indictâ causâ, necandos curavisset. Profectus est in exilium Cicero: sed per amicos vicissim revocatus Romam est, decimo pòst mense. Illis gratias agit primùm quasi publicè, ac toti populo; deinde privatim in Senatu. Quæstio est in genere demonstrativo: lau-

laudat beneficium, quo affectus eſt, dum ſingulari benevolentiâ populi, & Senatûs ab exilio revocatus fuit, abrogata Clodii lege.

Ut intelligatur exordium orationis ad Quirites, obſervandum eſt, amicos Ciceronis, priuſquam in exilium proficiſceretur, obtuliſſe illi ſeſe paratos ad dimicandum, ut in civitate retineretur: Tullium verò metuentem, ne civile bellum excitaretur, non ſinè populi ſtrage, maluiſſe in exilium proficiſci. Hanc ſuam erga populum charitatem in exordio commendat, cujus incolumitati caput ſuum ſe devoviſſe, prædicat. (*Quod precatus.*)

Incipit amplificare beneficium (*num. 2. Et ſi homini---*) cùm affirmat eleganti inductione, jucundiora eſſe ſibi omnia illa bona, quæ recepit à populo revocatus, quàm olim erant, cùm iis ante calamitatem frueretur, nempe fortunas, amicos, liberos, honorem, & patriam.

In confirmatione duo capita, duas dotes beneficii explicat. I. Quòd po-

pulus calamitatem Ciceroni detraxit. II. Quòd dignitatem auxit. (*num. 5. Quorsum--- & num. 6. Nam in ipso --*) Utramque partem probat, primò, comparando reditum suum, & studia, consensumque populi in se revocando, cum reditu aliorum quorumdam illustrium civium, qui pariter ab exilio fuerant olim revocati, P. Popilii, Q. Metelli, & C. Marii, quos minore gloria fuisse restitutos docet---(*Nem enim.*) Secundò, narrando ea, quæ amici, præsertim Lentulus, Milo, Sextius &c. fecerunt, ut restituerentur. (*num. 11.*)

Peroratio. Pollicetur gratum, & memorem animum (*num. 18 En ego---*) Deinde fortitudinem in còercendis improbis, & hostibus Reipublicæ (*num. 19. Quòd si vis---*) Eadem repetit. (*num 21. quam mihi---*) ubi eleganter explicat difficultatem referendæ pro tanto beneficio gratiæ, & (*num. 24. Quapropter---*) quo totam orationem concludit.

§. II.

§. II.

Oratio post reditum in Senatu.

IN exordio negat, se parem esse referendis pro accepto beneficio restitutionis suæ gratiis, in quo uno contineri dicit omnia beneficia, quæ Superis, patriæ, parentibus debentur.

In confirmatione profitetur, se immortalitatem quandam à Senatu consecutum esse. Hoc probat inductione. Consules, Tribuni, Prætores, Consulares viri, & Senatûs Principes reditum Ciceronis postulârunt, decreverunt ornaverunt, & quodam quasi triumpho illum revexerunt; ergo, &c. (*num. 3. Itaque.-*)

Invehitur (*num. 9.*) in duos Consules ejus anni, quo pulsus erat in exilium, Sabinium, & Pisonem, quorum invidiâ, & scelere calamitatem hanc pertulerat. (*Sed fuerunt ..*)

Redit ad laudandos amicos, maximè Tribunos, Milonem, & Sextium (*num. 18. Quid ego ..*) tum Prætores (*num 21. Jam verò Prætores ..*) denique Lentulum, Metellum, & Pompeium. (*num. 31.*) Causas af-

ſas affers, cur maluerit in exilium ire, quàm ſe vi defendere (*Quibus ego rebus.*)

Pollicetur in peroratione majus, quàm unquam antea, ſtudium in defendenda Republica: (*num. 35. Quapropter - -*) & ſuæ reſtitutionis gloriam immortalem refricat. (*num. 36 Pro me - -*)

Inter ſelectas Tullii Orationes, quæ unum in libellum congeſtæ fuerunt, reperitur oratio tertia ex illis, quæ Agrariæ vocantur. Ea, cùm ſit valdè ſalebroſa, & parùm digna, quæ in ſelectas orationes referretur, intelligi commodè nequit, niſi priores duæ exponantur: licèt illæ ſint in genere deliberativo, hæc in demonſtrativo.

§. III.

Oratio Agraria in Senatu.

CONſule Cicerone, P. Servilius Rullus Tribunus plebis legem Agrariam tulit de agris à Populo Romano ex hoſte captis in cives diſtribuendis. Hanc diſtributionem penes Decemviros ob eam rem creandos, volebat eſſe, iiſque faciebat poteſtatem vendendi vectigalia, colo-

colonias deducendi, &c. Rulli mens, & consilium duplex erat: primò populum demulcere agrorum largitione: secundò, se, suosque Decemviros locupletare.

Refutat hanc legem Cicero, & iniquam, inutilemque esse docet. Exordium desideratur. Confirmatio docet, hanc legem damnosam esse Populo Romano, & solis Decemviris utilem. Ingreditur Cicero per egregiam exclamationem, sustentationem, & prosopopœjam (*num. 1. Hæc per Deos immortales---*) Ostendit I. venditionem vectigalium nō posse fieri sinè detrimento populi. II. Item emptionem agrorum. (*num. 14. Videtis jam -*) III. Denique coloniarum deductionem.

Concludit, non tantùm agros, & vectigalia, sed Rempublicam ista lege Agraria periclitari (*num. 21. Non queror-- Quamobrem per Deos --*)

§. IV.

Oratio Agraria ad populum prima.

EAndem legem Cicero dissvadet. In exordio benevolentiam populi sibi ma-

máximè conciliat, à quo se Consulatum accepisse profitetur: cùm nulla majorúm nobilitate commendaretur. Eam ob rem prædicat, se popularem, hoc est, populi utilitatibus unicè deditum semper fore; quam laudem arrogare sibi Rullus auctor legis Agrariæ non potest, qui ostentatione quadam insidiosæ largitionis Rempublicam perturbat, & perniciem populi molitur. (*à núm. 1. Est hoc ...ad 10. Neq; enim---*) Adversarios deinde in odium adducit, qui sua consilia Ciceronem Consulem celaverint; qui clàm, & nocte convenerint, &c. quibus è signis conjicit, illos contra Rempublicam moliri, (*num. 11. Itàque ut initio---*) Tertiò, removet sinistrum præjudicium: suspicari enim aliquis poterat Ciceronem odiô Rulli ejus legem dissvadere; cùm sæpè accideret, ut Consules à Tribunis plebis diffiderent. (*num. 14. Omni hoc nobis---*)

Propositio. Lex agraria est iniqua, & inutilis. (*num. 15 Atque ego---*) Confirmatio. Probat, legem hanc esse iniquam;

liber-

libertatem quippe populi imminuit creandis Decemviris, quibus potentiam immanem, ac tyrannicam tribuit, privat magnam populi partem suffragiorum jure, &c. Expendit singula legis capita, colligitque indè illius iniquitatem. Jam ejus inutilitatem demonstrat ex eo quòd opes populi non augeat illa lex, sed opes tantùm Rulli, & Decem virorum. Expendit pariter, & insectatur varia legis capita, ùt venditionem agrorum, (*num. 35. Datur igitur eis --*) Venditionē locorum etiam extra Italiam, quæ publica sint facta, (*num. 38. haberis unum---*) Quò prætextu, dicit Cicero, dari Decemviris jus, & potestatem regna integra, & provincias vendendi. (*Quid Alexandria, num. 41.*) Vectigalium, (*num. 46. Non est satis.*) venditionem prædarum, & manubiarum, exceptîs tamen manubiîs Imperatoris Pompeji, quam exceptionem ridet. (*num. 58 Vix jam videtur ---*) Deductionem coloniarum, præsertim in agrum Campanum, (*num. 71 Deinde---num. 75. Etenim ager---*) Multis probat agrum di-
vidi

vendi non debere, aut alienari (*num. 80. Majores nostri - usque ad num. 95.*)

Peroratio incipit *num. 97.* (*Hæc tu P. Rulle* ..) Profitetur, se contra iniquas leges fortem semper in tuenda Republica, & popularem in defendenda pace, concordia, cōmodísque populi futurum.

§. V.

Oratio Agraria ad Populum secunda.

SYlla Dictator, oppressâ Republicâ, rerum potitus, multos agros privatos, publicósque diviserat partium suarum studiosis, eamq; ob rem istæ possessiones, quæ Syllanæ vocabantur, magnâ flagrabant invidiâ, Rullus accusavit Ciceronem, quasi faveret istis Syllanis possessoribus, eorúmq; possessiones confirmare, ac sancire vellet. Non modò id negat Cicero, verùm etiam culpam in Rullum transfert; eumque Syllanarum possessionum potiori jure esse defensorem, docet.

In exordio queritur, quòd accusatus sit ab adversariis, cùm abesset; eosque in præsens certamen vocat. II. Postulat populi benevolentiam, quem subinfensum animadverterat. Du-

Duplici argumento probat, Rullum tueri Syllanas possessiones. Primò quia legis ab eo latæ quadragesimo capite cavetur, ut, quæ Syllanis temporibus, hoc est, post Marium, & Carbonem Consules, factæ sunt assignationes agrorum, maneant, & eo jure sint, quo privata quæque optimo possunt esse. Secundò, quia Rullus plures quàm Sylla, & novas possessiones donat, ac dividit, quibus ipsi placet. Sunt enim agri quidem publicati, nemini tamen assignati, quos Rullus lege sua cui volet, assignabit.

CAPUT II.

Synopsis Orationum aliquot Ciceronis, in genere præsertim deliberativo.

ARTICULUS I.

Synopsis Philippicæ III. IV. V.

NOnnullas ex orationibus Philippicis legendas præ cæteris hic propono; quia breves, & perspicuæ sunt. Porrò illarum argumentum hoc est. Interfecto Julio Cæsare, M. Antonius Collega ejus in Consulatu perturbabat Republi-

blicam; & conscripto exercitu tyrannidem affectabat, per causam, & nomen ulciscendæ necis Cæsaris. Ejus nefarios conatus reprimere Cicero studuit, imitatus Demosthenem, qui Philippum Macedoniæ Regem, à quo Græciæ libertas opprimebatur, multis orationibus acriter exagitaverat. Eas orationes Demosthenes Philippicas appellavit, idque nomen suis orationibus imposuit Cicero; quia, ùt olim Philippum Orator Græcus, sic ipse Antonium, in simili defendendæ libertatis causa, insectabatur. Tertiæ Philippicæ occasio, & peculiare argumentum est ejusmodi.

M. Antonius, post secundam Philippicam irâ, & pudore incensus, bellum Ciceroni, atque adeò Reipublicæ palàm inferre meditans, copias collegit. C. Octavius Cæsar, qui postea rerum potitus, & Augustus est appellatus, scripto vicissim exercitu veteranorum militum, illi se objecit, eumque fugere in Galliam Cisalpinam compulit, quam provinciam obtinebat Decimus Brutus. Is acriter

etiam

etiam obſtitit Antonio, & ab eo Mutinæ obſeſſus eſt. Quibûs cognitîs, habitus eſt Senatus, ut de publica re deliberaretur. Cicero ſententiam hac oratione dixit, ſvaſitque. I. Ut, quæ privato conſilio fecerat Octavius, comprobarentur auctoritate publicâ. II. Ut præmia decernerentur legionibus, quæ illum ſecutæ fuerant. III. Ut Octavius Imperatoris nomine ornaretur. IV. Ut Brutus Provinciam Galliam retineret in Senatûs populique poteſtate. V. Ut Antonius hoſtis Reipublicæ judicaretur.

Exordium ſumit à circumſtantia temporis, queriturque Senatum tardiùs convocatum fuiſſe in tanto Reipublicæ periculo: gaudet tamen, &c.

In Confirmatione, ſingulas partes in argumento expoſitas perſequitur, & variîs figurîs illuſtrat. Sub finem invehitur in Antonium, qui Octavio ignobilitatem objiciebat; Antonii edicta quædam, & modum convocandi Senatûs carpit. In peroratione graviter Senatum hortatur ad tuendam libertatem: à

perſo-

persona Antonii, & ejus fratris, à consequentibus, à facilitate victoriæ, &c.

Non deerat & in Senatu, & in populo, qui Antonio faverent, neq; armis cum eo dimicandum, sed mittendis legationibus pacem componendam svaderent. Contra illos disputat Orator, ac Philippicâ IV. probat, agendum esse cum Antonio, tanquam cum aperto Reipublicæ hoste; quia omnium judiciô est hostis declaratus, nempe judiciô populi, Octavii Cæsaris, Senatûs, militum, Decimi Bruti, Galliæ, & ipsorum Deorum.

Exordii sententia hæc est: Frequens concio, & vestrum, Quirites, studium magnam mihi spem affert recuperandæ libertatis. Propositio continet antecedens enthymematis, nempe hostem Reipublicæ Antonium esse judicatum (*Eodem n. 1.*) Confirmatio orationis complectitur probationem antecedentis per distributionem, & eorum enumerationem qui Antonium hostem Reipublicæ judicârunt: Populi, (*num. 2.*) Octavii, (*num. 3.*) Senatûs, (*num. 5*) Militum (*nū.*

4. &

4. & 5. D. Bruti, (*num. 7.*) Ibi fingit, populum sibi assentiri fausta acclamatione, ac subdit: *Rectè, ac verè negatis, Quirites, &c.* Illustrat dilemmate (*num. 8. Si Consul Antonius, Brutus est hostis, &c.*) Addit judicium Galliæ (*num. 9.*) Ac denique Deorum ipsorum, (*num. 10.*) Illustrat hæc omnia repetitione crebrâ, subjectione, imprecatione, & aliîs figuîis.

Peroratio continet complexionem antecedentis: ergo agendum armis cum Antonio, ùt cum hoste, non legationibus mittendis, (*à num. 11.*) Estque vehemens cohortatio, & amplificatio ducta à consequentibus, à minori ad majus, ab utili, decoro, necessario, &c.

Philippica V. Provinciam Galliæ Cisalpinæ Senatus dederat Decimo Bruto: illum, invito Senatu, ex ea depellere tentabat Antonius Bruto infensus, utpote affini illius Bruti, à quo Cæsar fuerat cæsus, ac Mutinam, Galliæ citerioris urbem eximiam, obsidebat. Multi censebant, mittendos ad eum Legatos, qui de pace, concordia agerent. Dissvadet

dicit Cicero; quia hujusmodi legatio turpis est Senatui, & perniciosa Reipublicæ.

Exordium dicit à circumstantia temporis. Senatus habebatur Kalendis Januarii: Diem hunc diu expetitum serò advenisse, dicit: eundem tamen fortunatum, & optatissimum illuxisse, ait, propter novorum Consulum orationem & constantiam. Ita captat benevolentiam, & in causam ingreditur.

Propositio habetur (*num. 3.*) Confirmatio primæ partis, nempe (turpis est legatio) petitur à repugnantibus: Repugnat enim, ac turpe est, pacem illi offerre, qui hostis est à Senatu judicatus; Id enim inconstantiæ, ac levitatis est signum, neque cadit in dignitatem Populi Románi. Probat deinde pluribûs verbîs, jure hostem esse judicatum Antonium, nec modò Consulis, sed ne civis quidem nomine dignum esse (*à num. 6. ad 25.*) enumeratîs Antonii flagitiîs, legibûs per vim, & contra auspicia perlatîs, &c. Concludit hanc partem (*num. 25.*) gravi comparatione ironica, (*Ergo*

Anni-

Annibal hostis, civis Antonius? Quid ille fecit hostiliter, quod hic non fecerit, aut non moliatur, & cogitet?)

Secundam partem confirmationis proponit per occupationem (*num. 26. Quosdam audio dicturos, &c.*) Ostendit perniciosam legationem fore; quia debilitabit militum animos, & impetum belli retardabit. Dissimilem deinde causam esse docet Legatorum olim à Senatu missorum ad Annibalem, & eorum, quos idem Senatus mitteret ad Antonium (*num. 27.*) Tertiò urget dilemmate: Aut Legatis parebit Antonius, aut non parebit: Si pacem volet, si parebit, si Romam redibit: quis illum animô æquô videre poterit? quis vacabit metu? Si non parebit, ùt certò scio; quid opus est Legatos mittere? Ostendit, Legatos ab Antonio contemptum iri, & rejectum. (*num. 28. 29.*) Subjicit conclusionem. (*num. 30.*) *Num. 35.* & sequentibus agit de honoribus decernendis Octavio Cæsari, & aliis benè Republica meritis. Idem argumentum tractat Philippicâ IV, sed

sed in ea populum alloquitur; cùm priorem orationem habuisset in senatu.

ARTICULUS II

Ordo, & partitio Philippicæ VII. & VIII.

PHilippicâ VII. pacem cum Antonio faciendam esse, negat, quia turpis, quia periculosa, quia impossibilis.

In exordio conciliat attentionem, cùm ait, se, omissis levioribus negotiis, de quibus Senatus consulebatur, rem gravissimam proponere. Conciliat benevolentiam, cùm profitetur se publicæ tranquillitati studere, ac dignitati Pop. Rom. in eoque fungi officio viri Consularis, & Cajum Pansam Consulem imitari. Adducit in odium amicos Antonii, qui pacem cum eo faciendam esse, putabant. Effugere conatur invidiam, quâ vulgò laborant osores pacis: affirmat, se auctorem semper fuisse pacis, nunc autem se invitum facere, ut illam dissvadeat. Hæc munera boni exordii exequitur (*à num. 1. ad 9.*) Partitio orationis per interrogationem. (*num. 1. Cur igitur pacem nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest*)

Pri-

Primam partem tractat per ratiocinationem, ſive ſyllogiſmum oratorium. Inconſtantia turpis eſt Senatui, atqui ſummæ levitatis eſt agere cum illo de pace, quem Senatus hoſtem Reipublicæ declaravit. Probat hanc minorem propoſitionem, ſive aſſumptionem, ùt Rhetores loquuntur, enumerandis decretis à Senatu factis contra Antonium (*Locus ab antecedentibus: figura, crebra interrogatio, & vehemens: item repetitio, &c.*) Solvit egregiè id, quod objici poterat: Miſſi ſunt ad Antonium Legati: ergo turpe non eſt agere de pace (*num. 14 At Legatos miſimus? Heu me miſerum! cur Senatum cogor, quem laudavi, reprehendere? &c.*) Vide, ùt blandè arguit, & offendere Senatum cavet. Nihil eſſe turpius hac ipſa legatione contendit, & ad priſtinam ſeveritatem repetendam hortatur. Addit (*à conſequentibus*) ſummam fore turpitudinem, ſi admittatur in Senatum Antonius, cujus ſcelera per elegantiſſimam congeriem oculis ſubjicit.

Secundam partem aggreditur (*n. 16.*) &

tractat Enthymemate. Orietur ex pace, quæ fiet cum Antonio, bellum gravissimum; ergo pax est periculosa. Probat antecedens ab Antonii, & ejus gregalium potentia, superbia, & libidine. Insectatur præ cæteris L. Antonium, Marci Antonii affinem. (*O Dii, quis ejus potentiam poterit sustinere? num. 17.*) Adhibet comparationem cum Gracchis. Tractat consequens antecedentis per communicationem, & cohortationem. Operam suam pollicetur. (*num 19. & 20.*

Tertiò. Pax esse nulla cum Antonio potest; quia, inquit, omnes illum aversantur, & oderunt, & ille omnes. In hac discordia, & alienatione voluntatum pax esse nulla potest. (*à num. 21. ad 26. Omnia videbitis plena odiorum: dolete igitur id velle, quod fieri non potest, & cavete; &c.*)

Peroratio incipit (*num. 26. Quorsum hæc omnis spectat oratio, &c. Libertas agitur Populi Romani-Auctoritas vestra, &c.*) Idem argumentum de repudianda cum Antonio pace tractat priori parte orationis XIII.

Philippica VIII. Post exordium, in quo Pansam Consulem nimiæ lenitatis accusat, illos reprehendit, qui bellum cum Antonio susceptum vocati tumultum malebant, quam bellum: ostendit, tumultum sinè bello, & quidem gravi esse non posse. ac docet, verum bellum geri cum Antonio, ab effectis & signis belli. (*Brutus oppugnatur non est bellum? Mutina obsidetur, ne hoc quidem est bellum? &c. Gallia vastatur, quæ potest pax esse certior?* Vides ironiam, conversionem, &c. (*num. 7.*) Comparat hoc bellum Antonianum cum aliis (*num. 8.*)

In secunda orationis parte invehitur in Calenum Antonii patronum; quòd pacem svadet. Pugnat maxime exemplis clarissimorum virorum, & ejus rationes acutè, graviterque confutat (*à num. 12. ad 20.*)

In tertia orationis parte illos reprehendit, qui de mittendis iterum Legatis agitabant. (*Dolenter hoc potiùs dicam, quam contumeliosè: deserti, deserti,*

inquam, sumus--- Proh Dii immortales! ubi est ille mos, virtusque majorum? (

ARTICULUS III.

Synopsis, & argumentum Philippicæ IX. & XII.

PHilippica IX. Argumentum bellissimæ hujus Orationis hoc est: Servio Sulpitiô, in legatione ad Antonium mortuô, honor statuæ tribuendus est. *Vellem* (inquit eleganter in exordio) *Dii immortales fecissent, ut vivo potius Serv. Sulpitio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus---*

Confirmatio tota unicô nititur argumentô. Illi honor statuæ tribuendus est, cui legatio ipsa, quam Reipublicæ causâ susceperat, mortem attulit. Atqui S. Sulpitio legatio mortem attulit; ergo illi erigenda statua.

Initium statim ducit ab ipsa ratiocinationis assumptione, & probat, legationem mortis causam attulisse Sulpitio (*num. 2 Non illum vis hyemis, non nives non longitudo itineris retardavit, &c.* Subdit majorem propositionem (*nũ. 3.*

eam-

eamque probat interpretando majorum mentem, & exemplis ab hiſtoria petitis illuſtrando. Redit (*num.* 5.,) ad minorem propoſitionem & egregiâ hypotyposi exponit, quemadmodum Sulpitius morbô, & amicorum precibûs deterreri à ſuſcipienda legatione non potuerit. *Vos, Patres conſcripti, (grave dictu eſt, ſed dicendum tamen) vôs, inquam, Serv. Sulpitium vitâ privâſtis; quem cùm videretis ſe morbô magìs, quàm oratione excuſantem. &c. Reddite igitur ei vitam, cui vitam ademiſtis: vita enim mortuorum in memoria vivorum eſt poſita, &c.* (*num.* 8.6 10.) non indigere Sulpitium ejuſmodi ſtatuâ & honore; quippe cujus vita multîs fuerit, præclarîſque monumentîs ad omnem memoriam commendata, (*digreditur hic pauliſper in ejus laudes*) tamen hæc erit ſtatua monumentum honeſtæ mortis, & grati Senatus, ac demum ſolatium afflicti filii. Sub orationis finem, quænam eſſe ſtatua debeat, quod Senatûs de illa ponenda decretum, ſingillatim exponit.

Philippica XII. Pansa Consul retulerat de Legatis iterum mittendis ad Antonium. Legati decreti erant P. Servilius, & M. Tullius Cicero. Confirmatio duas partes habet. Prima, Legati de pace ad Antonium mittendi non sunt. Secunda, minimè verò omnium Cicero.

Post exordium, in quo suum, ac Senatûs errorem excusat, qui Legatis spem pacis asserentibus crediderit, deponendum affirmat. Ac primò quidem negat, mittendam legationem; quippe quæ non modò inutilis erit, verùm etiam perniciosa: quia spem, & conatum recuperandæ libertatis infringet, (*num. 7. Quid enim potest Reipublicæ prodesse nostra legatio? Prodesse dico? Quid si etiam obfutura est? Quid si jam obfuit? an putatis, &c.*) Probat hoc antecedens per dubitationem; enumerando illos, qui auditâ legationis, & pacis mentione curam, , & spem tuendæ Reipublicæ ac libertatis abjicient, (*num. 9. Quid autem hoc---*) Concludit (*num. 11. His igitur omnibus---*)

Ean-

Eandem primam partem confirmationis probat; quia dignitas agitur Populi Romani. Repudiavit Antonius propositas pacis conditiones, facta sunt contra illum plurima Senatûs, Consulta, & decreta; imminet belli, & servitutis periculum: ergo, &c. (*num. 11. 12. 13. 15. Quid si ne potest quidem ulla esse honesta legatio? quid censetis? Ponite ante oculos? -- Ubi sunt? --*)

Secundum caput confirmationis. Cicero mittendus ad Antonium Legatus non est, agitur ejus dignitas, & fama. Quia prævaricator, & inconstans existimabitur, si pacem Antonio svasurus mittatur, qui legationem, & pacem semper dissvaserit. (*Quo aspectu videre potero? --n. 19.*) Altero argumento probat, se nequaquam mittendum; nempe, quia salus ipsius agitur, & vita; dubitari enim non potest quin illi struantûr ab Antonio insidiæ. Auget à minori ad majus. In ipsa urbe vix tutus est ab Antonii satellitibus, quantò minús in ipso itinere? Amplificat di-

lemmate: vel congredietur cum Antonio in ipsis ejus castris, vel extra castra; utrobiq; periculum, nulla utilitas, &c. (*à num 21. ad 29. 30.*) In peroratione tamen denuntiat, se paratum ad omnia pericula, & ad necem ipsam subeundam, si Reipublicæ intersit. Eo pacto mirè conciliat animos, & eò, quò vult, perducit.

ARTICULUS IV.

Oratio in Catilinam prima.

CAtilina vitiis, & egestate oppressus Romam diripere, imò Romanum Imperium excindere conjuravit, ascitîs in conjurationis consilium Romanis aliquot Proceribûs. (*Lege Florum lib. 4. cap. 1. Sallustium de conjuratione Catilinæ.*) Cicero nefaria consilia detexit, & ad Senatum detulit. Senatores in duas abiêre sententias, alii necandum continuô Catilinam cum sociis censebant; Cicero, & alii ducebant, lenitate utendum tantisper, dum se ipse proderet; nondum enim planè convictus habebatur; imò aderat in Senatu, cùm hanc orati-

orationem Tullius Consul, tanquam eloquentiæ maturæ fulmen, in eum vibraret.

Suadet igitur Catilinæ Cicero, ut ex urbe discedat in voluntarium exilium, & paratam pœnam fugiat; aut in castra Manlii unius è conjuratis proficiscatur, & bellum indicat Reipublicæ palam, & sinè detrimento civitatis opprimendus. Timebat Cicero, ne, si conjurati vastarent, incenderentque Romam, ipse primus omnium necaretur; itaque per causam publicæ utilitatis sibi consulit. Duæ sunt partes orationis. In prima docet, esse utile, ac jucundum Catilinæ, ut ex urbe discedat: in secunda probat, non esse utile Reipublicæ, ut interficiatur.

In exordium, quod abruptum, ac plenum iracundiæ & indignationis est, ipsum Catilinam præsentem acriter cōpellat, statímque propositionem Orationis subjicit hortatúrque, ut ex urbe discedat. Primò, quia patet ejus conjuratio, propter quam, & propter an-

teactæ vitæ flagitia omnibus odio est. (*Etenim quid est? num. 6. Recognosce tandem num. 8.*) Omnia conjuratorum consilia, deliberationes, conventicula enumerat. *Quæ cum ita sint--- num. 10.*) Negat, se fugam illi svadere, privatô periculô territum, sed publicô, (*num. 11.*) Insectatur deinde vitam ejus, & flagitia tum privata. (*Quid enim est?-num 13.*) tum publica. (*Potestne tibi--*,) Addit comparationem triplicem à minoribus. & prosopopœjam patriæ hortantis Catilinam, ut discedat (*num. 17. 18.*) Hanc esse mentem Senatûs, Equitum, Civium reliquorum, affirmat. (*num. 20. 21. Neque hi solùm---* Et suam (*Quanquam quid ---num. 22.* Ut injucunda debeat esse Catilinæ omnis in urbe mora (quod erat primum argumentum) sic jucundus debet esse illi discessus ad Manlii castra, ubi bello, & cædibus indulgebit. Hæc est secunda ratio, cur discedere debeat. (*Quamobrem, ut sæpè---num. 23.*)

Secunda pars orationis. Non est è

Repu-

Republica, ut Catilina interficiatur. Id enim si fiat, conjurati remanebunt in urbe, neque, nisi eâ vastatâ, eversâque, conquiescet. (*Nunc ita me---num. 27.*) Id confirmat exemplo summorum virorum (*num. 29. His ergo.*) Illustrat egregia similitudine à morbis sumpta. (*num. 31. Ut sæpè.*)

Peroratio triplicem complectitur Apostrophen. I. ad Senatores, quibûs omne suum studium pollicetur ad extingvendam conjurationem. II. ad Catilinam. III. Ad Jovem. ut patriam tueatur contra cives nefarios. (*Pollice-or vobis, &c.*)

Motus hac oratione Catilina, discessit ex urbe. Cicero suum populo gaudium significat secunda oratione, probatque, optandum Reipublicæ, & utilem conjuratorum discessum fuisse.

Primò. Quia magis in urbe timendi erant, quam extra urbem. Quod confirmat enumerando illorum scelera per exclamationem, ethopœjam, congeriem, & alias triumphantis eloquen-

tiæ figuras. Quo in loco digreditur ad eos refellendos. qui Tullii severitatem in ejiciendo Catilina incusabant. (*num. 12 At etiam sunt---*)

Secundò Quia facilè impiorum conatus, & arma opprimentur ab exercitu Reipublicæ. Id ostendit eleganti comparatione copiarum & militum Catilinæ, qui omnes obærati, patricidæ, sicarii, &c. cum copiis populi Romani. (*Exponam vobis -- num. 17.*) tum (*num. 18. Primum genus est- -*) (*num. 24. Instruite nunc.*

In peroratione hortatur cives ad patriæ custodiam. II. Deorum auxilium promittit--- (*Quæ cum ita sint num. 26*)

ARTICULUS V.

Tertia Catilinaria

Cicero laudat suam in detegenda, & extingvenda conjuratione diligentiam, & conservatam à se Rempublicam prædicat: quod beneficium tamen cùm referat acceptum superis, gratias illis agendas, & hunc diem solemni supplicatione celebrandum svadet.

Pri-

Primam partem, & ſuam diligentiam, prudentiamq́; declarat, enumeratîs ſplendidè variîs circumſtantiîs detectæ conjurationis. Secundam oſtendit, enumerando manifeſta divinæ tutelæ in hoc negotio documenta.

ARTICULUS VI.

Quarta Catilinaria.

COmprehenſi fuerant in urbe præcipui quidam conjurati, & in carcerem conjecti. Cæſar cenſebat, illos mitiore afficiendos pœna: Silanuś morte mulctaudos. Hujus ſententiam Cicero amplectitur, & perſvadet hoc argumento. Æquum eſt, cives convictos infandi ſceleris, & cum Reipublicæ periculo ſummo conjunctos, morte mulctari. Duo poterant objici. Unum, eſſe crudelitatis, primarios cives necare. Alterum, difficile eſſe, viros nobiliſſimos extremô afficere ſuppliciô Primum refellit, ac docet, improbos cives è medio tollere, non eſſe crudelitatis, ſed lenitatis potiùs. Quod alterum caput ſpectat, oſtendit, rem ſibi facil-

limam fore. Tota oratio insigni artificiô tractatur ne offendatur Cæsar; & Orator suas laudes cum patriæ charitate subtiliter miscet. Vicit ejus sententia: necati sunt in carcere conjurati.

CAPUT III.

Synopsis aliquot aliarum Ciceronis Orationum, præsertim in genere judiciali.

ARTICULUS I.

Oratio pro Rege Dejotaro.

DEjotarus, Rex Gallo-græciæ, partes Pompeii secutus fuerat bellô civili. Victô Pompeio rediit in gratiam cum Cæsare, quem tamen voluisse per insidias interficere, accusatur à Castore suo nepote, & Philippo Medico, Dejotari servo. Defenditur à Cicerone.

Callidè incipit à timore suo & perturbatione, cujus causas affert; novitatem judicii de capite Regis, accusatorum indignitatem, quorum unus est Dejotari nepos, alter servus; Cæsaris personam, qui judex in suo periculo: deniq; ipsum locum; non enim agitur hæc

hæc in foro causâ, ubi magnam Oratori fiduciam, & alacritatem præbet cōcursus populi sed intra domesticos parietes, & in ædibus Cæsaris. (*à num. 1 ap 7.*) Admiscet singulis penè verbis aliquam Cæsaris laudem. Ita benevolētiam, & attentionem captat. Tertium exordii munus est, ut odium struatur in adversarios; id præstat (*à num. 7. ad 15.*) allatîs causîs. quibûs illos impulsos ad accusandum fuisse docet. Cæsaris denique fidem, & clementiam implorat, & inimicitias ejus priores, atque iram in Dejotarum sapienter mitigat.

Exordio subjicit narrationem seu refutationem præjudicii gravis; nempe: quòd in bello civili tullisset arma Dejotarus contra Cæsarem. Id quomodo gestum sit narrat singulari artificiò, & excusat Regem. Primo quia Senatui Pompeianas partes amplexo parendum putavit. (*num. 11. Cùm audisset.*) Secundò, deceptus est rumoribûs. Tertiò, cessit auctoritati Pompeii, qui cæteros omnes ante Cæsarem rerum gestarum

gloriâ

gloriâ superavit. (*num. 12.*) Quartò discessit à Pompeio post Pharsalicum prælium, opem Cæsari multis in rebus tulit, pro eo dimicavit,&c.(*num. 13. 14.*)

Confirmatto quatuor parres habet. (*Is igitur, &c. num. 15.* In prima ostendit Orator, Dejotarum non struxisse insidias Cæsari. Primò, à persona Dejotari, qui nec tam sceleratus est, nec tam ingratus, nec tam demens, ut id consilii caperet. (*At credo. à num 16*) II. Ab ipso crimine, quod neque aptè ad suspicionem movendam, neq; probabiliter confictum est. (*At quàm non modò, non credibiliter. Quam festivè crimen contexitur! num .9 .*) III. Ab ipsa Dejotari, & servorum modestía, quiete--- (*num 20. Obsecro, C. Cæsar, repete temporis illius memoriam---*)

Secunda pars confirmationis. Dejotarus contra Cæsarem exercitum non comparavit. *num 22. Reliqua pars accusationis*)

Tertia. Non fuit alienô animô à Cæsare. (*num. 24.*) Probat à repugnantibus:

bus: pecuniam dedit Cæsari, ejus exercitum aluit, excêpit hospitiô, &c. In triplici demum bello, Alexandrino, Pontico, & Africano, nulla re illi defuit. Refellit (*num 25.*) quòd adversarii jactabant Dejotarum versum quemdam protulisse in odium Cæsaris, imò ad versîs de eo rumoribûs gestientem in convivio saltavisse. (*Quid deinde furcifer? quò progreditur? num 16.*)

Quarta pars. Insectatio est adversariorum, quorum describit impudentiã, impietatem, crudelitatem, avaritiam; quorum calumnias refellit. (*num. 27 28. usq; ad num 35.*) illud præcipuè deplorat, quòd servi testimonium audiatur & à comparatione amplificat. (*num. 30. 31. 32.*) Peroratio (*num. 35. ad 43.*) tot., in eo est, ut Cæsar Dejotaro concilietur

ARTICULUS II.

Oratio pro Milone.

GErebant inimicitias Milo, & Clodius. Obviàm facti non procul Româ, pugnam inierunt, in qua cæsus Clodius. Milo accusatus fuit: quasi per insidias,

& ex

& ex composito Clodium adortus, illum interfecisset. Cicero contrà ostendit, Clodium insidiatum esse Miloni, nō Milonem Clodio. Cùm timeretur, ne quis tumultus existeret propter Clodii, & Milonis amicos, ad vim, & pugnam paratos, Pompeius Reipublicæ curam gerere à Senatu jussus, armatos milites in foro collocavit, quorum aspectu Cicero vehementer est perturbatus. Hinc sumit exordium, & eos milites favere causæ suæ profitetur, hortaturq; Judices, ut magno animo sint. Mox præjudicia quædam refellit, quibus Milo videbatur jam condemnatus à Senatu, & à Pompeio, imò populi voce, qui negabat, absolvi posse illum, qui hominem à se occisum fateretur. (*à num 7. ap 21,*) Sequitur narratio. (*à num. 24. ad 32.*

Confirmatio duas partes habet. Prima: jure interfecit Clodium Milo, à quo sibi videbat insidias, & necem strui. Secunda: Cùm laude interfecit; ergo est absolvendus, imò donandus præmiô.

Jure

Jure interfectus est Clodius: quia insidias Miloni struxit; nõ Milo ipsi, qui neque insidiandi voluntatẽ habuit, neque facultatem: quippe nulla utilitate, neque odiô neque indole ad vim comparata fuit impulsus ad cædem Clodii cùm Clodius istas omnes causas habuerit, ac præterea spem impunitatis. Denique ipse palam jactavit. Milonem brevì periturum. Deinde Clodius magnam habuit facultatem struendi insidias. Milo nullam. Respondet tribûs capitibûs, quæ objici poterant: *Cur ergo victus est?* &c. ac demum concludit (num. 68.)

Secunda pars confirmationis. Milo dignus, est laude, qui Clodium interfecerit, hominem videlicet sceleratissimũ, pestem Reipublicæ. Ejus scelera enumerat: amplificat odium, quô illum populus prosequebatur adeò, ut excitare Clodium nec ab inferis, si fas, velit. Exemplîs Græcorum complexionem ornat; ac demum divinæ providentiæ casum illum salutarem Reipu-

blicæ

blicæ assignat. Peroratio tota est ad misericordiam composita; videtur in ea Tullius triumphare. Neque Milo mulctatus fuisset exiliô, si, quemadmodum est hæc oratio scripta, sic recitata fuisset. Verùm Orator, metu militum perculsus, titubanter, ac timidè dixit.

ARTICULUS III.

Oratio pro P. Quintio, & pro Sexto Roscio Amerino

§ I.

Oratio pro P. Quintio.

SExtus Nævius, homo fraudulentus, & avarus cùm pecuniæ summam nõ levem deberi sibi à Publio Quintio contenderet, eum vadatus est apud Prætorem. Diu vadimonium distulit Prætor, & Quintius interim itineris necessarii causâ, Romam discessit, relicto procuratore, qui vadimonium obiret. Nævius, absente Quintio, vadimonium præstat postulatq; a Prætore, ut condemnetur, tanquã vadimonii deserti reus, & ejus prædium, ac fortunas invadit ex edicto Prætoris, ùt ajebat.

Cice-

Cicero tria oſtendit. Primùm, non debuiſſe Nævium poſtulare à Prætore, ut bona Quintii poſſideret; quia falſum ſit, debitam Nævio eſſe pecuniam, quam à Quintio repetit: Deinde; quia falſum eſt deſertum fuiſſe à Quintio vadimonium. Secundum docet, bona Quintii ex edicto Prætoris non potuiſſe poſſideri; quia non fuit Quintius edicto Prætoris comprehenſus. Tertiò probat, Nævium bona Quintii ex edicto Prætoris revera non poſſediſſe; quia in ejus prædium involavit priùs, quàm edictum à Prætore pronuntiatum fuiſſet. Cauſa eſt in genere judiciali quæritur enim, an Nævius Quintii bona ex edictô Prætoris poſſederit?

In Exordio, quod numeris decem abſolvitur, deplorat Orator Quintii calamitatem, qui gratiâ Nævii, & Hortenſii eloquentiâ opprimatur; implorat opem Judicum; queritur, quòd ipſe priori loco, ac breviſſimo temporis ſpatio cogatur perorare, &c. Exordio ſubjungit Narrationem (*num. 11. id, quò facili-*

facilius--) Narrationi propositionem & distributionem orationis (*num: 36 Negamus, Ostendam primùm, causam non fuisse, cur, &c.*)

Confirmationis prima pars. Nulla fuit causa, cur Nævius postularet à Prætore, ut liceret possidere bona Quintii; quia nihil debuit Nævio Quintius: ab eo enim anno toto, & amplius nihil postulavit. An credibile est, hominem avarum, cui deberetur magna pecuniæ summa, tam diu fuisse tam quietum, tam modestum, tam sui juris immemorem, non ausum esse appellare Quintium, cujus nunc jugulum, & caput petit? Hoc mirîs modîs facere amplificat. (*Quis tam dissolutus --- n. 37. Appellandi tempus non erat, &c.*) Urget dilemmate. (*n. 41.-Restit. u--*) Probat secundò eandem partem, quia Quintius vadimonium non deseruit, quippe, qui ob iter necessarium Româ tunc abesset, ùt multi testantur (*Ait esse num 57.*) Insectatur pluribûs verbîs Nævii crudelitatē, qui socium, &c. exuere bonîs voluerit.
(*Quid*

(*Quid si debuisset? num. 48.*) Amplificat graviter hunc locum à consvetudine proborum civium, &c. ab innocentia, & simplicitate Quintii.

Secunda pars confirmationis. Nævius non potuit bona Quintii possidere ex edicto Prætoris. Expendit Cicero, post idoneam transitionem, edicti verba singula, negátque, iis Quintium cõtineri; quippe, qui non latuerit, non solum verterit, &c. qui denique à suo procuratore defensus fuerit. (*Docui, quod primum pollicitus sum-- num. 60*) Solitudinem, & inopiam Quintii dolenter exponit (*num. Quod si tum.* --)

Tertia pars confirmationis per dialogismum exponitur. Nævius bona Quintii non possedit ex edicto. (*Diffidebam-- n. 77.*) Probatur dilemmate. Si ex edicto possedit, necessè est, ut nuntius, qui lictores admonuit ut dejiceretur de prædio Quíntius, confecerit triduô sexcenta passuum millia; hoc enim intervallo Quintii prædium Româ distat; aut nuntius à Nævio missus fuerit

rit ante edictum. Primum est impossibile, alterum improbum. Urget acriter adversarium: atque, ùt in re manifesta, triumphat.

Peroratio duas partes habet: enumerationem, sive anacephalæosim in qua repetit argumenta, & probationes allatas (*num. 86 Ostendit, quàm multa.*) II. Affectum misericordiæ erga P. Quintium, odii erga adversarios. Concludit obtestando Judicem (*num. 99. Itaque &c*) Insignis est hac in oratione varietas, & copia figurarum, quarum nomina, usum, exempla protulimus in tertia hujus libri parte, cap. 2. & quas peritus Magister Candidatis Eloquentiæ singillatim edisseret.

§ II.

Oratio pro Sexto Roscio Amerino.

OCcisus fuit Romæ Sextus Roscius Sexti hujus Roscii pater. Ejus bona proscripta, & empta sunt a Chrysogono, nobili, potente, & avaro cive. Erucius Causidicus Sextum Roscium accusavit parricidii; defendit Cicero, nec

modò

modò innocentem probavit esse, verùm etiam reos accusatores. Quæstio judicialis est, an Sextus Roscius patrem occiderit?

Exordium. Excusat audaciam suam Cicero, qui contra opes, & potentiam Chrysogoni Roscium defendendum suscipiat, dum tot alii Oratores egregii tacent, cùm ipse neque ætate provectus, neque in foro, causisque sit versatus. Vocat in invidiam adversarios, Judices reo conciliat: quæ munera sunt exordii

Narratio ducitur (*à num. 14. Atq; ut.*) Exponit (*num. 27.*) Consilium adversariorum de accusando S. Roscio parricidii, (*Quod is simul---*) Et eorum crudelitatem graviter insectatur (*num. 29 Quid primum---*) Aûget comparatione cum facto Caji Fimbriæ.

Confirmationis prima pars. Sextus Roscius non occidit patrem: tractatur per argumentationem. Ille non occidit patrem, qui nullam habuit causam occidendi patris. Probatio propositionis

onis. Quia tantum ſcelus ſinè gravi cauſa ſuſcipi non poteſt. Atqui nullam habuit cauſam parricidii Sextus Roſcius, neq; ex parte ſua, qui non eſt ſceleratus, audax, libidinoſus, &c. neque ex parte patris, cui non erat inviſus.

Solvit nonnulla, quœ objiciebat accuſator, qui Roſcium patri inviſum ideo probabat eſſe; quia illum ruri diſtinebat,& removebat ab urbe, quia illum exhæredare cogitabat. (*Occidiſſe Patrem. n. 37.*) Ridet ineptiam accuſatoris, qui tam futilibûs utatur argumentis (*Nemo noſtrûm eſt --- num. 55.*) Complexionem ratiocinationis affert (*num. 6 . De parricidio --*) & multa de parricidii gravitate diſſerit. Exornat hunc locum communem exclamatione, diſtributione,&c. (*Quantò majores noſtri. num. 70.*

Eandem primam confirmationis partem altero probat argumento, quod explicat per dilemma oratorium. Non occidit patrem S. Roſcius; quia nullam ejus occidendi facultatem habuit. Tranſitio

ſitio per conceſſionem (*num. 73. Eſto cauſam ..*) Dilemma eſt ejuſmodi. Vel per ſe occidit, vel per ſervos, aut ſiccarios: neutrum dici poteſt. Per ſe non occidit; quia Romæ non erat. Non per ſicarios, quos non novit homo ruri aſſiduus, & frugi: non per ſervos, quos in quæſtionem dari ultrò poſtulat, & obtinere per adverſarios non poteſt. (*Reliquum eſt --num 77.*)

Confirmationis altera pars. Adverſarii Sextum Roſcium occiderunt; quia occidendi magnam cauſam habuerunt, nempe utilitatem. Ratiocinationem Cicerô ſic informat. Illi dicendi ſunt potiùs occidiſſe Roſcium, qui magnas ex ejus nece utilitates adepti ſunt. Propoſitionem probat celebrî dictô Caſſii (*num. 84. L. Caſſius--*) Aſſumptionem oſtendit enumerando tum opes S. Roſcii, quibus inhiabant; tum eorum avaritiam, & audaciam. (*In hac enim num. 86.*) Complexionem ornat antitheſi (*Reſtat Judices -- num. 88.*)

Eandem ſecundam confirmationis partem

tem probat eleganti inductione rerum quæ cædem Roscii consecutæ sunt; ex quibus concludit, majorem occidendi facultatem adversariis fuisse, quàm ipsi Sexto Roscio. (*Videamus nunc n. 92.*) Sunt autem illæ res; prima, audacia T. Roscii, unius ex adversariis, qui palàm cum accusatore sedebat. Secunda nuntius cædis magna celeritate factus Roscio Capitoni (*num 96. Quis primus- -*) Tertiò, Capitonis perfidia in fallendis legatis ad Syllam missis (*num. 109. Venit in decem.*) Quartò quæstio de servis (*num. 119. Dixit jam anteà.*) Quintò, Chrysogoni potentia, & avaritia, quem ita insectatur, & Syllam, ut utrumque graviùs lædere caveat.

Peroratio incipit (*num. 142. Verùm hæc.*) In ea & odium in adversarios, & commiserationem in Roscium egregiè struit.

ARTICULUS IV.

Oratio pro Q. Ligario.

ORatio pro Q. Ligario tota subtiliter, & acutè tractatur. Cáusa quippe lubrica,

brica, & difficilis, in qua Cæſar ipſe de injuria, quæ dicitur illi facta, Judex eſt. Q. Ligarius præerat Africæ, cùm ortum eſt civile bellum inter Pompeium, & Cæſarem. Pompeii partes amplexus; repulit ex Africa Q. Tuberonem, qui profitebatur, in eam ſe venire, ut eandem Cæſari traderet. Accuſatur à Tuberone: Primò, quòd repulſus injuſtè fuerit ab Africa per Ligarium. Secundò, quòd Ligarius Pompeii partes fuerit ſecutus. Tertiò, quòd infenſus fuerit Cæſari.

Concedit Cicero, Ligarium in Africa fuiſſe, idq; in exordio ſtatim profitetur; at nihil ab eo factum iniquè in Africa oſtendit in narratione (*num.* 2. *Q. igitur Ligarius.*)

Confirmatio. Nihil contra Cæſarem molitus eſt Q. Ligarius, ſive cùm in Africam Legatus profectus eſt, ſive cùm eam adminiſtravit, ſive poſtquam civile bellum exarſit, & Varus contra Cæſarem Africam occupavit. Retorquet crimen in ipſum Tuberonem, qui potiore jure

dicendus est infensus fuisse Cæsari, quàm Ligarius; quippe, qui & in acie Pharsalica contra Cæsarem pugnaverit, & exclusus Africâ, suas querelas ad Pompeium detulerit.

Ejus crudelitatem multîs verbîs exagitat, & à Cæsaris clementia amplifi at. Hæc potior, & præcipua pars confirmationis est. Tertiam, nempe quòd Pompeii partes secutus fuerit Ligarius insigni artificiô tractat (*n. 17. Ac primus aditus---*) Pompeium, & Pompeianos excusando, Cæsaris clementiam, & moderationem victoriæ commendando, id quod in peroratione illustriùs, acriusq; facit (*num. 29 Itaque num tibi --*) Præfert illustrissimos viros, qui pro Ligario deprecantur (*num. 34. Videsne --*) Vicit Cicero, & causam obtinuit.

ARICTULUS V.

Oratio pro Cnejo Plancio.

CUm Ædilitatem simul peterent Plancius, & Laterensis, Plancius eam adeptus est, rejectus Laterensis, qui ratus, injuriam sibi factam, accusavit Plan-

Plancium, quòd largitione populum corrupisset. Quæstio igitur est in genere judiciali: an Plācius reus sit ambitûs, an populi suffragia malîs artibûs venatus fuerit.

In exordio conciliat benevolentiam Judicum Plancio, laudatque ejus in se ipso Cicerone tutando, cùm exularet, fidem, tum integritatem vitæ, &c. Adulatur obiter Laterensi, cujus amicitiam retinere se velle profitetur (*n. 2. Sed mihi in Causa---*)

Confirmationis duæ sunt partes. Prima: rectè, ac jure obtinuit Plancius Ædilitatem, quamvis nobilitate sit inferior Laterensi. Primò, quia in comitiis non semper dignitas candidatorum spectatur; sed populus, quibus collibitum est, favet, ac sæpè gratiâ, precibûs, temeritate, non judiciô, & veritate ducitur (*Num enim comitiis -- num. 9.*) breviterque carpit Laterensis negligentiam; & superbiam in hoc Magistratu petendo. Secundò, quia Plancius est Equestris Ordinis, cui Ordini semper Ædilitas patuit.

(*num. 17. Quid si populi- .*) & certis de caussis (quas enumerat *num. 19.*) plura tulit meritò, ac facilè suffragia Plancius, quàm Laterensis. Addit varias virtutes Plancii, & egregias dotes, quibûs populum jure sibi devinxit, modestiam in licentia militari (*num. 17. Vitia me Hercule---*) Prudentiam, & æquitatem in tribunatu, & Quæstura (*num. 28. In Macedonia --*) Item in urbe. (*Tribunus plebis---*) Item domi (*Omitto illa---*) Denique levia quædam refellit, quibûs Plancium Ædilitate indignum probare Laterensis contendebat. (*Hunc tu vitæ--- num. 30. Pater verò---num. 31. Asperiùs, inquit--- num. 33.*)

Secunda pars confirmationis. Adversarius crimen ambitûs probare non potest. Accusat enim Plancium lege Liciniâ, quæ in eos candidatos lata est, qui sodalitia conflaverint, & coitiones, ac cœtus tribulium, quorum suffragiîs niterentur ad honorem obtinendum; at nihil eorum probat à Plancio factum esse. Abutitur autem eâ lege; quia dat illa pote-

potestatem accusatori eligendi, ex quacunque libuerit tribu, Judices, quod est acerbissimum. Debebant, inquit Cicero, sumi Judices ex tribu Terentina, cui probè notus est Plancius, non ex aliis tribubus, quibus est ignotus. (*Ego Plancium num 46*) Confirmat hoc ipsum, docétque bonîs artibûs, & civilibûs officiîs devinctas à Plancio tribus; quia binîs comitiîs Ædilis est factus, &c. (*num. 50. Venio jam---*) Refellit varia crimina, quæ Cassius accusatorum alter objiciebat Ciceroni, & Plancio (*usque ad num. 72*) quô refutat quædam sibi objecta privatim à Laterensi, & suas laudes libenter, ac liberaliter admiscet (*Respondebo tibi---*) Ad extremum operam sibi à Plancio navatam prædicat, cùm Româ pulsus fugit in Macedoniam, ubi eum Plancius omnî officiô prosecutus est. Indè arripit occasionem obtestandi Judices in peroratione, quæ plena est affectûs svavissimi, & sinè lacrymis audiri non potuit, ac ne legi etiamnum potest. (*O excubias tuas! --- num. 107.*

ARTICULUS VI.

Oratio pro L. Muræna.

CUm L Muræna designatus fuisset Consul in sequentem annum, accusatus est de ambitu à Servio Sulpitio Murænæ competitore, & repulsam passo: item à Marco Portio Catone; demum à Cnejo Posthumio: defensus est ab Hortensio, & Cicerone.

Exordium. Consul Cicero Murænam, amicum suum, & Consulem designatum, quem Superis commendavit, nunc accusatum, commendat Judicibus. (*Quod precatus sum---num. 1*)ubi captat præclarè Judicum benevolentiam, eorum potestatem comparando cum Deorum potestate. Altera pars Exordii versatur in refutandis adversariis, qui negabant Murænam à Cicerone defendendum esse. Non est rectum, inquiebat Cato, defendi Consulem reum ambitûs à Cicerone Consule, qui legem de ambitu prudentissimam tulit, qui tam severè Consulatum gessit. Huic respondet (*num 3. Et primùm---usque ad num. 7.*) quo lenire cona-

conatur Sulpicium graviter conquerentem, quòd oblitus amicitiæ Cicero Murænam contra se defendat. Ubi observa Oratoris artem; cujus est moliri statim omnia, quæ minùs attentos, aut benevolos facere possunt auditores.

Tria in Muræna reprehendebant accusatores; vitam Murænæ dignitatem, & ambitum. Iisdem vestigiis insistens Tullius, docet L. Murænam in vita reprehendendum non esse, cujus probitatem maximè in Asia, pietatem erga parentes, labores, triumphum commemorat; ac præcipuè diluit convicium eidem objectum à Catone, qui saltatorem illum appellaverat. (*num.* 13)

II. Docet, non esse contemnendam Murænæ dignitatem, parem illam esse nobilitati Sulpicii (*num.* 14. *Nihil igitur.*) Parem ambo Quæsturam sortiti sunt. (*Quæsturam unà* ..) Imò superior est Muræna, & vincit Sulpicium arte, & professione. Sulpicius est Jurisconsultus, Muræna in bellis versatus: ars verò militaris longè præstat juri civili, & ad

Consulatum obtinendum multò est utilior (*num. 19. Reliqui temporis---& num. 30. Duæ sunt--*)Artem utramque, & scientiam belli, ac juris lepidè comparat. Addit (*num. 37.*) nonnulla, quæ Murænæ profuerunt in petitione Consulatûs, ùt suffragia militum. (*Sed tamen---*) Ludorum magnificentia (*num. 39.*) Administratio Provinciæ (*num. 41. Sed hæc sanè.*) Deniq; ratio ipsa petendi Consulatûs (*num. 43. Et quoniam.*)

Tertia pars Confirmationis. Nihil commisit Muræna contra legem ambitûs (*num. 54. Nunc mihi totius---*) In ea parte festivè Catonem exagitat, præmissâ ejus laude, (*num. 58.*) & petitâ quasi à Judicibus veniâ liberiùs dicendi. Hæc præfatus, jocatur bellè in Catonis austeritatem, ac totam Stoicorum disciplinam, negátque, idcirco reum esse ambitûs Murænam, quòd habuerit Sectatores, ediderit spectacula, prandia populo præbuerit, &c. (*à num. 58. ad 78.*) ibi, velut amotô jocô, Judices monet de nefario Catilinæ consilio, cui ùt fortem, & strenuum

nuum Consulem opponant, hortatur. (*num. 85 Quid tandem fiet---*)

Talem futurum Muræнam pollicetur in peroratione, in qua etiam excitat Judices ad commiserationem ab adjunctis, &c. (*à num. 86. ad 90.*)

ARTICULUS VII.

Oratio pro P. Sylla.

ACcusabat Syllam L. Torquatus, quòd in patriam cum Catilina conjurâsset: defendit illum Cicero, redditque in exordio rationem, cur, cùm alios conjuratos accusaverit, Syllam defendat, quem scilicet nō esse conjurationis reum comperit.

Confirmatio duas partes habet. Primam; non conjuravit Sylla; quia id nullô idoneô probatur argumentô. Tractatur per inductionem, sive enumerationem argumentorum, quibûs probare conabantur adversarii, Syllam conjurâsse. Primum est, Testimonium Allobrogum: refellitur subjectione, & dialogismô (*num. 36. Ab Allobrogibus nominatum.*) II. De tabulis publicis corruptis (*n. 40.*


Exclu-

Exclusus--) Paulisper digreditur *nū. 47.* objurgatq; acriùs Torquatum (*Fero ego te---*) ac statim oratione mitiori plaçat. (*num. 48. Neque verò.*) III. Judicium Cornelii. IV. De Cincio in Hispaniam misso, ut eam perturbaret. (*At enim Cincius. n. 56.*) V. De Pompeianis ad conjurationem impulsis à Sylla, (*num 60. Jam verò.*) VI. De Cæcilio, fratre Syllæ, qui cùm videret ereptum fratri à Torquato Consulatum, rogationem tulerit de eo in Consulatum restituendo. (*At enim num. 67*) VII. Argumentum, quòd in sua quadam epistola Cicero numeraverit Syllam inter conjuratos, ironica responsione eluditur. (*Hic tu epistolam. n. 67.*)

Secunda pars Confirmationis. Non conjuravit Sylla; quia ejus mores, & anteacta vita repugnant tanto sceleri. Tractatur per ratiocinationem. Qui conjurat in patriam, consentaneos tanto crimini mores habet. (*Neque enim, --num. 69*) probat propositionem exemplis (*n. 70. Circumspic te.*) Atqui Syllæ mores, & vita repugnant huic sceleri. Probatur assum-

assumptio enumeratione illius virtutum. (*Agedum, conferte. num 72.*) Complexio habetur (*num. 75. Non, inquam, cadit---*) Subjungit Confirmationi Refutationem geminam: unam, de quæstionibus, ac tormentis servorum, quæ minitatur adversarius; alteram, de accusatis Consularibus, &c.

Peroratio egregia est, in eaque calamitatem Syllæ, crudelitatem adversariorũ amplificat. (*Quamobrem vos, num. 86.*



PARS SEPTIMA.

De modo scribendæ Epistolæ.

CAPUT I.

Dotes, & Partes Epistolæ.

INter Epistolæ dotes non immeritò recensetur brevitas prudens, & argumẽto consentanea. Deinde forma dicendi pressior, & magis concisa, sinè periodorum ambitu numeroso. Denique sermo familiaris, & quotidiano propior, nativo

tivo quodam lepore conditus absque pigmentis, & oratorio fuco.

Partes Epistolæ sunt eædem, quæ Orationis cujuslibet; verùm breviores, & quasi occultæ: Exordium, Confirmatio, Refutatio, & Epilogus. Interdum adhibetur Narratio, si res postulat, ipsique exordio inseritur, aut subjicitur.

Exordium ferme ducendum ab aliqua circumstantia temporis, loci, personæ, ac potissimùm rei, & causæ, propter quam scribitur. Nonnunquam est abruptum, nempe in vehementiore aliquo affectu doloris, gaudii admirationis, &c.

Cùm Epistolæ omnes revocentur ad unum aliquod è tribus dicendi generibus, Confirmatio peti debet ab iis locis, qui proprii sunt generis demonstrativi, judicialis, aut deliberativi, de quibus totô istô libellô fusè dictum est. Recensuimus Parte VI. Progymnasmate VI. varias Orationum formas, & classes, ad quas vulgò revocari possunt Epistolæ; quæ ferè sunt gratulatoriæ, consolatoriæ, monitoriæ, objurgatoriæ, commẽdatitiæ,

apolo-

apologeticæ, &c. singulis ejusmodi generibus quænam conveniant argumenta, quæ structura sit adhibenda, diximus eôdem locô. Restat, ut exempla quædam è Tullio, Plinio, Seneca proferamus.

CAPUT II.

Exempla Epistolarum è Tullio sumpta.

NE mole nimiâ laboret hic libellus; cujus precium non leve brevitas est in tanta rerum copia, satìs habebimus exempla quædam Epistolarum decerpere ex primis Libris Epistolarum Ciceronis ad Familiares, & earum structuram paucìs indicare.

Primus Liber Epistolas ad P. Lentulum continet, easque ferè omnes unius generis, & modi, nempe *narratorias*, sive *nuntiatorias*. Rex Ægypti fuerat pulsus regnô à sorore: Roma restituendum cēsuit. Lentulus, & Pompeius ambiebant hanc Regis restituendi provinciam. Cicero favebat Lentulo, cui multum debere se profitetur initiô primæ Epistolæ: (*Ego omni officio, &c.*) Tertia Epistola est commendatitia. (*Aulo Trebonio.*) Exorditur à

tur à causis, quibûs adductus fuit ad cõmendandum Trebonium. In clusulâ patrocinium Lentuli amico petit. Quinta excusationem habet, quòd Lentuli negotia parùm promoveat: deinde consolationem, & cohortationem, ut fortí animô sit; pollicetur, se nullô locô ipsi defuturum. (*Tametsi---*) Sexta idem argumentum, sed majori brevitate, prosequitur. (*Quæ gerantur.*) Initiô septimæ excusat se Lentulo, quòd rariùs ad eum scribat: mox variis Lentuli literis respondet. (*Legi tuas literas.*)

Secundi Libri Epistola prima duas partes habet: prior excusationem continet, quòd rariùs ad Curionem scribat; posterior cohortationem ad studium virtutis, & gloriæ. (*Quanquam me --*) Epistola secunda tribûs continetur partibûs: in prima consolatur Curionem de morte patris, significando suum de illa dolorê: (*Gravi teste---*) In secunda (quam partem nonnulli dividunt à prima, & peculiarem, tertiamque esse volunt epistolam) eidem svadet, ne munera gladia-

toria

toria edat in patris funere. In tertia cohortatur illum ad virtutem. Sexta epistola, (*Nondum erat auditum* --) est petitoria, sive commendatitia, sed paulò accuratior, & in qua partes omnes bonæ epistolæ rebûs ordine dispositîs, observare licet. Petit à Curione, ut Milonem creandum Consulem curet. In exordio causam affert, cur citò miserit epistolam: (*Magnitudo rei fecit, &c.*) Sic attentionem excitat, & animum Curionis præparat. Deinde benevolentiam ejusdem aucupatur eleganter modestiâ petendi, & verecundiâ, (*Grave est* --) & à suo remunerandi studio, (*Neq; enim*) Subjicit propositionem & argumentum epistolæ (*Ego omnia* --) Petitionis causas affert. Primò rei, quam petit, honestatem. (*Neque verò cuiquam* --) Secundò facilitatem rei conficiendæ. (*Hunc te unum* ---) Tertiò, æquitatem petitionis. (*Si me memorem* --) Quartò, gratum animum, & suum, & Milonis. Concludit hìs verbîs. (*Unum sic habeto.*)

Præclara quoquè est ejusdem Libri episto-

epistola decima sexta (*Magno dolore*---) Quâ respondet M. Cœlio, cujus Epistola ultimam libri octavi proximè antecedit, ab his dicta verbis: (*Exanimatus sum*) Victus fuerat à Cæsare Pompeius acie Pharsalica. Cicero dicebatur velle Pompeium, licèt victum, sequi, relicto Cæsare, ac bellum urgere. Idem cùm Cælius audivisset, illum hortatus orat gravissimîs literîs, ne faceret, utque ab armis discederet, svaserat in ea, quam diximus, epistola octavi libri. Respondet Cicero, sibi planè ita deliberatum esse, ac rumores de se dissipatos acriter confutat, & cur pacem amplecti statuerit, explicat.

In decima octava svadet Thermo, ne decedens provinciâ, eam relinquat gubernandam legatis suis potiùs, quàm suo Quæstori. Rationes duas potissimùm affert. Primò, quia erit cum gravi ignominia Quæstoris, si videat sibi præferri legatos. Secundò, quia nocere nullùm Thermo nobilis Quæstor, licèt adolescens, potest. Exordium ad captandam

bene-

benevolentiam b llè comparatum eſt. (*Officium meum* --) Concludit amicitiam ſignifi ando, quâ impulſus ſcripſit. (*Quæ mihi* -)

Tertii libri epiſtola prima continet maximè laudes Phariæ cujuſdam, quem Appio commendat: ipſumque Appium non parcè laudat. Eſt commendatitia: (*Si ipſa Reſp.*) Epiſtola ſecunda, quæ incipit.(*Cùm & contra*--) in magna brevitate multum elegantiæ, ac perſpicuitatis habet. Succeſſurus erat Appio in regenda provincia: petit ab eo, ut eam ſibi tradat quàm maximè aptam, & explicatam. Poſt exordium, in quo ſuam erga Appium amicitiam profitetur, propoſitionem epiſtolæ, & petitionem ſuam exponit. (*A te maximopere*--) Rationes ducit ab honeſtò, utili, neceſſario. Gratum in epilogo animum, & ſua viciſſim officia promittit.

Scripſerat Appius ad Ciceronem durioribûs verbîs, & quædam illi objecerat. Ea refellit Cicero epiſtolâ ejuſdem tertii libri, ſeptimâ, cujus initium eſt; *Pluri-*

(*Pluribus verbis ad te* --) Quædam excusat molliter, alia graviter, & liberè arguit: nonnulla eruditè, sapienterque diluit. Idem argumentum, idem stylus est octavæ; at in nona (*Vix tandem legi, &c*) superiorum literarum acerbitatem quandam excusat, & magnam reconciliatæ gratiæ significationem habet. Quædam sub finem ab Appio humaniter petit. In decima consolatur Appium permanentem de triumpho ipsi negato. (*Cùm est ad nos allatum*---) usque ad hæc verba (*Illud pugna* --) Ac primò quidem suum dolorem de Appii molestia significat. Subjicit spem ulciscendæ injuriæ: denique promittit singulare studium in Appii dignitate defendenda.

In altera ejusdem epistolæ parte purgat se de suspicione quadam Appii, cui persvasum fuerat impeditam à Cicerone fuisse legationem, quæ Romam ad Laudem Appii mittebatur. (*Significatur in tuis literis*---) Refellit accuratè hanc suspicionem à præteritis suis erga Appium officiis, ab ejus persona, ab absurdo; &

repu-

repugnante, ab inutili, & pernicioso, à necessaria, quam habere debet cum Appio, conjunctione, à Pompeii persona, cujus filius habebat uxorem filiam Appii. Utitur maximè duplici dilemmate: Aut clam impedivi rogationem, & inimicum tibi me sum professus aut palàm, atqui, &c. Tum: vel me virum probum esse censes, vel nequam, & astutum? Si probum, nihil in me perfidiosum, & fallax in amicitia debes agnoscere: sin autem me astutum, & callidum libet fingere, &c.

Initium epistolæ undecimæ (*Cùm essem in castris*) est plenum suavissimæ gratulationis. Lætatur Appiô absolutô; quem inimici crimine Majestatis, & ambitûs accusaverant. Idem argumentum tractat epistolâ 12. (*Gratulabor.*) Sub finem excusat sese, quòd passus sit filiam suam Tulliolam collocatam esse Dolabellæ, inimico Appii. Id verò affirmat absente se, & insciente factum: & arte multa delinire, ac placare amicum studet. Liber quartus insigniores episto-

las sex

las ſex habet, duas conſolatorias: tertiam nempe (*Vehementer te eſſe, &c.*) & quintam (*Poſteaquam.*) illam Ciceronis, hanc Servii Sulpitii, elaboratam perquam affabrè, ac per omnes conſolandi locos accuratè ductam, adeò, ut vix de latinitatis elegantia concedat ipſi Tullianæ.

Tertia ejuſdem generis eſt ordine decima tertia ad P. Nigidium Figulum, quem conſolatur, quòd patriâ careat. (*Quærenti mihi, quid---*) Sequentes epiſtolæ ſvaſoriæ ſunt magnam partem, & hortatoriæ ad M. Marcellum ſcriptæ, cui perſvadere conatur, ut Romam redeat, ac victoris Cæſaris clementiâ fruatur. Præcipuæ ſunt, ſeptima, (*Etſi eo te, &c.*) Item nona, in qua eundem urget, ut Romam veniat quamprimùm. Secutus Ciceronis conſilium Marcellus, Romam properabat, cùm in urbe Græciæ interfectus eſt ab amico proditore, ùt Ciceroni Sulpitius narrat epiſtolâ 12. (*Etſi ſcio non---*)

Libri quinti prima epiſtola Metelli

est ad Ciceronem atrox, & eò acerbior, quò brevior, cui Tullius respondet pluribûs verbîs humanioribûs in epistola secunda, quâ planè se purgat, ac vacare culpâ docet (*Si tu &c. scribis ad me-*) Haud minùs impigrè, ac sedulò commēdat se, ac sua officia Crasso in epistola octava, (*Quantum meum --*) ejusque varias suspiciones, & criminationes diluit, ac suam in amicitia tuenda constantiam pollicetur.

Commendaverat ei, nescio, quid Vatinius, cujus est epistola ordine decima: respondet sequentibûs litterîs breviter, amicè, candidè. (*Grata tibi* .) Epistolam 12 ipse Cicero laudat, ac sanè digna est, quæ laudetur, & legatur tota, nam longior est, quàm ut exscribatur. Misit illam ad L Luceium, celebrem id temporis historicum, quem rogat, ut res à se in Consulatu gestas memoriæ, ac posteritati prodat. (*Coràm me tecum---*)

Epistola 13. pulcherrimîs verbîs, & sententiîs abundat. Respondet Luceio Tullius, cujus literas consolatorias ac-

cepe-

ceperat (*Quanquam ipsa--*) Pulcherrima quoque, & omnibûs Eloquentiæ pigmentis culta est, quæ sequitur, (*Et si unus--*) in qua Titium consolatur de filii morte. In decima quinta consolatur Sestium de irrogato ipsi exilio, utque casum hunc fortiter ferat, hortatur. Eandem constantiam in exilio fortiter tolerando svadet Fabio Epistolâ 16. (*Etsi egomet--*) Hortatur in decima septima Rufum, ut partes Pompeii sequatur: & in ultima Mescinium, ut literarum studiô tædium malorum præsentium leniat (*Grata mihi--*) Sunt illæ omnes literæ plenæ rerum, & sententiarum, quales è Stoicorum disciplina Tullius hauserat, à Christianis moribus, & præceptis longè disjunctis.

Operæ pretium foret proferre nonnullas Plinii, nec non Senecæ epistolas; in quibus Romana spirat amœnitas, & elegantia pari eruditione conjuncta, si operam hanc Typographi festinatio, & istius libelli brevitas ferre posset. Satis nobis in præsentia fuerit digitum quasi

ad fon-

ad fontes intendiſſe. Intelliget Rhetoricæ Candidatus impiger ex hoc veluti ſpecimine, de Tullianis litteris ſumpto, quæ ſit ars, & ratio Epiſtolæ conſcribendæ, ſin verò inducat animum è reliquis Tullii libris aliquot ſelectas id genus epiſtolas in patrium ſermonem vertere, deinde, ſpatiô interpoſitô, eaſdem latinè reddere: næ ille Tullinam elegantiam, ac nitorem breviſſimo tempore aſſequetur. Quòd ſi earundem literarum conficiat analyſim, & ſumma capita, ſententiaſq; exordii, confirmationis & perorationis, ordine digerat, deinde materiam hanc informem, & oſſeam veluti compagem verbîs idoneîs tanquam carne, veſtiat: demum, quod ipſe ſcripſerit, cum Epiſtola Tulliana, & exemplari ſuo comparet, Ciceronianum paulatim combibet ſtylum, & aliîs, à quibus doceatur, magiſtrîs, ac libris facilè carebit.

FINIS.

PETRI JOANNIS PERPINIANI.

AD ROMANAM JUVENTUTEM de avita dicendi laude recuperanda.

ORATIO XI.

GAudeo Patres religiosissimi, gaudeo vehementerque lætor, intermissum anno superiore Rhetoricæ docendæ munus, mihi rursus hoc tempore fuisse mandatum. Et ut, quod sentio, loquar divinô consiliô factum esse arbitror: ut apud sapientissimos, æquissimósque viros plùs ad hanc provinciam experto deferendam communis multorum utilitas quam ad laborem tantum fesso minuendum, privata unius requies valeret: primum enim offertur mihi occasio bene meren-

merendi: quod multò esse præclarius, quam accipere beneficium, cælestis hominum magister aliquando confirmavit: deindè observantia erga eos, quibus omnes vitæ meæ rationes ultrò comisi declaratur, quæ satìs intellgi, ac perspici profectò non potest, nisi cùm arduæ res, ac difficiles imperantur: postremò hoc me etiam Romanæ juventuti debere intelligo, quæ cùm mirificum semper erga me studium, alacritate, frequentiâ, ubi opùs erat, silentiô, ubi res postulabat, oratione declararit, nisi ei ad summam eloquentiæ laudem efflorescenti, tantùm ipse prodesse coner, quantùm possim (quod certè perexiguum quiddam esse video) sed nisi omnes ætatis, & industriæ meæ nervos in ea adjuvanda contendam jure sanè optimo existimer, & dicar ingratus. Vos Romani juvenes, pari ratione gaudere, lætariq; debetis, non meâ minùs, quam vestrâ causâ: vestrâ, quoniam id nobis non petentibus datur, quod, nescio, an vobis venisset in mentem postulare: meì, quoniam hoc offi-

cium meum mihi fructuoſum, jucundũ vobis, Deo gratum, & acceptum fore confido. Neque verò me unquam puduit, neque pudebit, quam aſſecutus ſum benè dicendi rationem, ſi tamen ſum aliquam aſſecutus, certè in qua tam diu elaboravi, eam aliis explicare, in ea præſertim urbe, quæ & ante, & poſt accepta religionis Chriſtianæ myſteria ſummos homines, artem eloquentiæ palàm profitentes adſpexit: neque, ſi Cicerones, Victorinos, Auguſtinos, auctores proferre non poſſem; cauſæ quidquam eſſet, cur turpe eſſe ducerem, eam docere artem, quæ ad orationis laudem viam communiret: nam ſi noſtræ rationis veluti fœtus quidam eſt oratio, neque minùs hæc hominum propria, quàm illa cenſetur: cur iis, qui logici vocantur, glorioſum ſit, rationem ad omnia ſua munera probè fungenda, monitîs quibûſdam adjuvare; rhetoricis autem doctoribus, hominum orationem ad multitudinis animos prudenter tractandos certis præceptis confirmare, turpe videatur?

atur? dissidium equidem linguæ, atque cordis, Patres religiosissimi: quod eloquẽtiæ pater, absurdum, & inutile verè nominavit, semper improbavi: neque aut eos, qui inflati opinione sapientiæ eloquentiam contemnerent; aut eos, qui inanì verborum sonitû delectati, sapientiam exagitarent, satìs putavi esse perfectos: & illam summi oratoris nec à philosophiæ studio abhorrentis vocem divinam planè judicavi: compositè & aptè sinè sententiis dicere, insaniam esse, sententiosè autem sinè verborum & ordine, & modo, infantiam, sed ejusmodi tamen infantiam, ut eì qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumq; prudentes: Eloquentem verò omnibûs oportere ita rebûs excellere, ut ei turpe sit, quidquam aut spectari, aut audiri libentius. Hanc ego veram,, & germanam eloquentiam puto, quam idẽ ille, gravissimo nomine, copiose eloquentem sapientiam nuncupavit: hæc ex cognitione rerum exsistit, adjuvante natura, & exercitatione: perficitur autem

velut extremâ præceptoris manû; ut eam non immeritò quendam quasi sapientiæ partum dicere possimus. Præclarè illud Horatius, & alia multa, quod in mentibus omnium, qui copiosè, & ornatè loqui volunt perpetuò infixum esse debet.

Scribendi rectè sapere est & principium, & fons. Multos ille vel Pòëtas, vel qui Pòëtæ videri vellent, quotidie scriptitare, non ignorabat, magnarum artium, & doctrinæ subtilioris expertes: plenum tamen, & grave carmen, dignum auribus eruditis, nisì ab eo, qui pectus antè complèssent plurimarum, & maximarum rerum scientiâ, componi non posse sentiebat. Quod si Pòëta, cujus omne studium aurium tantum delectationem aucupatur, sinè reconditis, exquisitisque disciplinis non omnino creditur esse perfectus: oratorem. qui magìs utilitati servit, quàm voluptati, nec oblectare solùm audientium animos, sed quod vult etiam ab eis obtinere, & efficere conatur: quis excellentem esse posse arbitretur, nisi omnem optimarum artium

do-

doctrinam mente fuerit antè complexus? Non hoc arbitrabatur Platonicus Socrates, qui cum Phœdro adoleſcente colloquens, ideo Periclem Principem Atheniensium affirmat, omnibus aliis dicendi gloriā præſtitiſſe, quòd doctorem nactus Anaxagoram eximium virum, cùm ab eo diligenter omnem naturæ ſubtilitatem cognoviſſet, tantum indè, quantum erat opus, ad hoc benè dicendi ſtudium tranſtuliſſet: non princeps, & parens illic Romanæ copiæ, qui ne phyſicorum quidem ignarum eſſe vult Oratorem ſuum: ut omnia, cùm ſe à cæleſtibus rebus transferret ad humanas, excelſiùs magnificentiuſque & dicat, & ſentiat. Illa igitur inanis profluentiæ, & ſtultitiæ loquacis fucata ſpecies, multîs verborum quaſi medicamentîs oblita; rerum ſucco, & ſangvine, & eo, qui ſangvine diffunditur, colore carens (quam nunc fere ſolam imperiti falsò eloquentiám vocant) omnium eſt irriſione ludenda: hæc, hæc præclara eloquentiæ forma, ſpecioſa verbîs, admirabilis rebûs, quam unam ve-

teres tam gravi, & honesto nomine dignam putaverunt, iis, qui plurimum oratione valere student, admiranda est: de qua dum ea dico, quæ hoc tempore, his auditoribus dicenda sunt, & Romanam juventutem adhortor ad patriam, avitamq; latinè dicendi gloriam recuperandam, vos, Patres religiosissimi, oro, & obtestor, ut, qua soletis benevolentiâ & humanitate, verba mea audiatis. Vestra enim est, si verè loqui volumus, vestra est, Romani juvenes, hæc omnis Latinæ copiæ possessio: quæ (quoniam in eam quasi caducam, atque vacuam exteræ nationes permultæ, vobis aliud agentibus, involaverunt) hoc majorì studiô vobis asserenda, & vindicanda est quòd cùm nulli facultati, neque de dignitate, neque utilitate concedat, non difficillimè recuperari, & retineri potest. Nolim aliter hæc accipi, atque à me dicuntur. Cogor ita loqui peracerbô quôdam animi mei sensû, & dolore, quem capio, cùm hujus civitatis excellentem dignitatem, in aliis rebus magna ex parte con-

conſervatam, in hac una propè ad nihilum recidiſſe cogito. Græcia quondam & militari virtute, & doctrinæ, atque eloquentiæ laude florens, cultûs, & humanitatis parens habebatur: ſecuti ſunt Romani illi veteres. qui uti armorum disciplina, morum gravitate, vitæ conſtantiâ Græcis aut pares, aut ſuperiores erant, ſic liberalibûs doctrinìs, & ornamentis principiô longè inferiores videbantur. Exſtitit tandem ætas illa, quam hujuſce reipub verè juventutem nominare poſſumus: quàm ætate, permultîs hominibûs omne ſuum ſtudium, & operam conferentibûs ad artes ingenuas cognoſcendas, cùm aliorum. qui in eo uno elaboraverunt, tum vel maximè M. Tullii Ciceronis induſtriâ, quæ propria fuerat antea gloria Græcorum, ea vel ad Romanos translata fuit, vel communicata certè cum Romanis: quæ tum habuit hæc civitas lumina? quos hæc urbs principes, vidit in ſubſelliis, in curia? quàm ampla, quàm excelſa, quàm magnìfica ſpecies orationis reipub. partibus

versâta est? meministis vos Crassos, Antonios. Hortensios, Cicerones, Julios: quos vero non omnes recordamini, illi non idcirco tacentur, quòd non egregiè dixerint, sed quòd aliorum, quos nòminavi, splendor ipsorum gloriam obscurârit: ab hac urbe, velut à corde sangvis ad omnes corporis partes, sic Latinæ dictionis ornatus ad omnes civitâtes, quæ in potestate, ac ditione populi Romani tenebantur, permanavit. Itaque non è Latio solùm, etiam ex utraque Gallia. ex ultima Hispania oratores non pauci numerabantur. Verùm ùt ab Atticis alii Græci oratores, sic Latini Cisalpini, & Transalpini omnes à Romanis, etiamsi cæteris rebus pares essent, tamen certe quadam voce propria Romani generis, & nescio, quo urbanitatis colore vincebantur. Postea multis, varîsque casibûs, & luctuosîs oppressâ republ qui dies imperandi potentissimo populo, idem finem pariter attulit benè dicendi: vos verò, quæ vobis à majoribus, eloquentiæ veræ jure veniebat hæreditas,

eam hæreditatem omnem nullâ veſtrâ culpâ ſola humanarum rerum varietate perdidiſtis: at quam hæreditatem? pro! Deum immortalem! quâ ſive copiosè loquendi finem, ſive uſum ſpectare velimus, neſcio, an quidquam in rebus humanis poſſit aut nobilius, aut fructuoſius inveniri. Hoc a me ita dici nemo mirabitur, cujus in animo illa, quam initio depinxi verbîs eloquentiæ, pulcherrima ſpecies inſidebit. Quid enim eſt oratori propoſitum in dicendo? quònam omnes ejus conatus referuntur? quò illa ſpectat animi & virium tanta contentio? nimirum eò, ut auditorum animos in quamcunque partem velit, impellat, & efficiat, atque ingeneret in eorum mentibus perſvaſionem, non eam, quæ à ſubtili, & accurato dicendi genere profecta, veram, & exquiſitam rei propoſitæ ſcientiam parit, quam rectè ſentiendi, & ornatè loquendi princeps Plato *Didaſcalicin* appellat, ſed eam, quæ populari quodam genere dicendi, & probandi orta opi-

nionem tantum, & fidem in eorum, qui audiunt, animis gignit, quam ille idem Pifienticin convenienter ipſius naturæ nominavit. Nam cæteræ ſive facultates, ſive artes. ſive ſcientiæ omnia reſecant ad vivum, & quaſcunque res explicandas ſuſceperunt, eas quam poſſunt diligentiſſimè, non tam ad multitudinis ingenium, quàm ad ipſarum vim, & naturam accommodatæ perſequuntur: quibus illa vel maxima ſæpè laus eſt, à populari ſententia quàm longiſſimè abeſſe. At eloquentia, quamvis omnibûs doctrinæ copiis abundet, ſinè quibûs inſtrumentum hoc oratorium perexiguum, atque modicũ eſt: omnia tamen explanatiùs dicit, & uberiùs, & ad communem hominum ſenſum accomodatiùs: in qua nihil eſt vitioſum magìs, quàm à communi judicio. & à vulgari conſvetudine ſermonis abhorrere: quare magnæ illæ, reconditæq; artes ab orationis copia ſejunctæ, tacita cogitationis voluptate frui poſſunt, & ſvaviſſimis cognitionis epulis,

qui-

quibûs noſter animus maximè paſcitur, inſaturabiliter expleri; ad rerum publicarum uſum in circumfuſa multitudinis corona dignum aliquid & magnitudine ſua, & hominum eruditorum auribûs proferre omnino poſſunt. Audite Romani juvenes, audite, quæſo diligenter, & quæ dicam, nunquam è memoria vobis elabantur. Doleo enim interdum, & vehementer angor, ubi video pleroſque non depravatè, & corruptè ſolum, ipſos de hac tota dicẽdi facultate judicare: verùm omnes etiam in eo nervos contendere, ut quo in errore ipſi ſunt, in eundem cæteros inducant. Si quando in veterem, & locupletem domum ingrederemini, refertam aurô, argentô ebore pretioſa veſte, margaritîs, gemmîs, tabulîs, pictîs ſignis, omnì denique apparatû ornatuque viſendô; neque eas res vobis quiſquam patefaceret, proferret, ante oculos proponeret; quem ex illa copia fructum, quam voluptatem caperetis? nihilô majorem imperita mulritudo mihi poſ-

hi posse percipere videtur ex eorum doctrina, qui locupletes rebûs, verbîs inopes, præclarum illum apparatum, quem involutum in pectore tenent, & penitus inclusum nequeunt in adspectum hominum, lucémque proferre. Vidi quendam, adolescentes, quo nomine appellem, nescio; sed vidi quendam tamen, qui in urbe clarissima, loco amplissimo, frequentissimo conventu, cum ex litteris divinis, gravi, & ardenti oratione mentes a vitiis deterreri, ad virtutes inflammari oporteret, nihil ferè egit aliud, nisi de tribus ratiocinationum formis ex analyticis Aristotelis valdè lentè, & fastidiosè disputavit. De alio mihi benè notò audivi ex iis, qui mori, quàm mentiri mallent, processisse in publicum aliquando rogatû multorum, posuisse quæstionem è media Theologorum schola, de ea in utrâque partem non minùs exiliter, & jejunè, quam in publico gymnasio solebat, disseruisse; cujus ego ut subtiliorem in illo genere doctrinam hîs tempori,

pori,

poribûs præſertim non utilem modò, verùm etiam neceſſarium, & in colendis Theologiæ ſtudioſis acumen ſingulare magnoperè admiror: ſic ad multitudinem inſtituendam, tenuitatẽ, & exilitatem orationis non ſatìs aptam fuiſſe contendo: quid enim illos perfeciſſe, quid aſſecutos eſſe creditis? hoc unum, opinor, ut amicos puderet; docti riderent, indocti oſcitarentur. At illi veteres Eccleſiæ Principes, quorum ſingularem eloquentiam ex ipſorum ſcriptis agnoſcimus, quàm prudenter hominum animos regebant? quantum rerum apparatum, quàm inſignem, quam varium, ubi neceſsè erat ex illis & humanæ, & divinæ ſapientiæ theſauris depromebant, ùt explicabant, ùt evolvebant omnia, ut conſtituebant in hominum pænè oculis, & adſpectu; itaque nihil erat tam difficile, quod non ſuſciperent, nihil ſuſcipiebant, quod non efficerent dicendo. Vetus eſt, quod dicam, ſed paucis, credo, veſtrûm adhuc auditum: nam, qui hæc legunt,

legunt, ad alia majora feſtinantes, quæ ipſis videntur minora, prætereunt. Cæſarea eſt oppidum in ora Mauritaniæ perantiquum: quo in oppido fuit mos ille quondam patrius, ut certo anni tempore promiſcuè cives omnes ad impiam cædem, tanquam ad ſtatum. & ſolemne ſacrificiũ convenirent: catervam illi vocabant crudelem, nefariúmque ludum: quo in ludo duæ adverſæ civium acies lapidibûs inter ſe tanto furore dimicabant, ut omnî delectû, ac diſcrimine ſublato, propinqui à propinquis, à liberis parentes, à parentibus liberi non oppugnarentur modò, verum etiam opprimerentur: non tulit Auguſtinus barbaram illam, & inauditam immanitatem; qui, ùt erat oratione copioſus, atque gravis, cõncionem advocavit inhumanam conſvetudinem accuſavit vehementer: neq́ priùs fecit dicendi finem, quàm ex omnium gemitu, fletúq́; cognovit, feros audientium animos, & indomitos, ad humanitatem, & clementiam fuiſſe revoca-

tos.

tos. Quid ergo consecutum est? ille quidem sui laboris præmium amplissimum tulit; Cæsarienses autem tam immane certamen de suæ civitatis moribus sustulerunt, ex quo perspicitur quantùm eloquentia possit: cùm nuda & inermis, impia civium arma compresserit, quæ fortè magistratus omnes firmissimìs militum septi præsidiis paulisper reprimere non potuissent. Multa generis ejusdem commemorare possem, nisi angustiis temporis urgerer; quæ quoniam mihi necessariò prætermittenda sunt, videte vos Romani juvenes, quid vobis agendum esse existimetis, si enim popularis hæc persuasio tota est ornatorum: si prudens docti hominis; & ejusdem ornati, gravisq; vox tantam vim habet ad flectendas hominum mentes; quô vos tandem animô, hôc tam lautô, & tam copiosô patrimoniô amissô esse debetis? quô studiô, qua contentione animi, ingenii, virium, omnes eniti decet, ne frustra majores vestri tantum in eo constitu-

endo

endo & amplificando laborârint? præsertim cum dicendi usus tam longè lateq; pateat, ut nullum ferè sit ab eo vacuum publicum munus: in officiis verò privatis non parum dominetur. Etenim prudentia civilis quæ totam continet civitatis gubernandæ rationem, ex multis magnisque facultatibus constat, quarum, qui sunt expertes, ii non satis idonei censentur ad rem publicam benè gerendam; earum facultatum, quæ scientiæ regendarum civitatum veluti comites & ministræ serviunt, omnes unam hanc esse oratoriam confitentur, ille quidem hospes Eleates apud Platonem, perfectum quendam hominem, & ad reipublicæ procurationem aptum instituens, benè dicendi vim, item ut artem imperatoriam. & magno in pretio haberi oportere testatur, & cum scientia civili naturæ quandam cognatione esse conjunctam, qui illud etiam adjungit, hanc regiæ facultatis quasi sociam, id quod jus est persvadentem, communi quodam modo
do

do cum ea conſiliô quæcunque in civitatibus geruntur, gubernare. Neque Ariſtoteles mihi diſcrepare videtur a ſententia magiſtri: qui cum ſciẽtias eas, quæ ſummo in honore ſunt, prudentiæ civili dixiſſet eſſe ſubjectas, in earum numero repoſuit ornatè loquendi facultatem. Quid? quod memoriæ proditum eſt, à Siculis primum reſpirante libertate, ad res per injuriam ablatas longô intervallô judiciìs repetendas artem eloquentiæ invitatam eſſe; non ſatis declarat, omnem orationis copiam ad officia civilia præcipuè pertinere? aſſumpſerunt quidem eam ad ſuas illas eruditiſſimas diſputationes nonnulli philoſophi ſvavitatis cauſâ, ut academici, ut peripatetici, quorum olim non ſubtilis magis & exquiſita, quàm elegans & polita philoſophandi ratio admirationi fuit: ſed non eſſe propriam ipſorum, ex eo cognoſcimus, quòd ſi qui tenuiter iiſdem de rebus, & jejunè diſſeruerunt, non idcirco minùs eos philoſo-

phiæ

phiæ ſatis feciſſe credimus, quàm qui ornatiſſimè ſunt locuti cùm nequeat omni laude cumulatus civitatis rector exiſtere, niſi multa & magna ſit ornamenta dicendi conſecutus. Non hic exaggerabo verbîs vim civilis facultatis, atque præſtantiam: non dicam id quod ſcriptores antiqui multi probaverunt, deſidioſæ, & oſcitanti quorumdam ſapientiæ, qui ſolâ contemplatione veri contenti, ſe ab omnibus muneribus publicis omnino removerunt, negotioſam hanc laborioſamq; prudentiam anteponendám eſſe, quæ ſe ad reipub: curam aliquando convertit, neque illud ſciſcitabor à vobis, quanti faciendam eloquentiam putetis, cùm in ea, cui deſervit, facultate tanta ſit laus, ut omnibus aliis facultatibus, artibus, ſcientiis una præſit, & quæ rejiciendæ, quæ in civitate retinendæ, quatenus unaquæq; ſit addiſcenda præſcribat. Hæc omnia præteribo tacitus, dummodo illud intelligatur à vobis, quam laté pateat vis eloquen-

tiæ.

tiæ. Neque verò locum illum attingam in præsentiarum, quantùm Athenis olim, quantùm in Asia, quantum Romæ, quantùm in omnibus pacatis liberisque civitatibus viguerint studia dicendi: cùm omnes partes rerumpublicarum essent in eloquentiæ tutela; de nobis duntaxat, hoc est, de repu. Christiana universa, quam brevissimè potero, perstringam. Quis non videt concionandi munere & salutem omnium, & publicas privatasque religiones maxima ex parte contineri? atqui totum hoc, concionari, quoniam populare est, boni oratoris esse proprium, neminem esse credo tam ignarum rerum, qui neget? fateor equidem requiri divinarum & humanarum rerum exquisitissimam doctrinam, quam nunc illi sibi suo jure vendicant, quos theologos vocamus: verùm illa materiam tantùm concionatori suppeditat, quam aptè describere & illustrare oratione, ad multitudinis animos vel reflectendos, vel

inci-

incitandos, eamque orationem cum quadam actionis dignitate pronunciare, eloquentiæ omnes esse dicent, non theologorum, quocirca similitudinem in concione docere, & mentes hominum pro re modò huc, modò illuc impellere, sacerdotum sunt Episcoporumq; partes, fieri potest, ut sine oratoria facultate quisquam vel sacerdotis, vel Episcopi dignitatem, & auctoritatem, per se ipse tueatur? Legationes verò, quæ vel à civitatibus, Principibus, Regibus, Imperatoribus, ad Pontifices maximos, vel ab his ad illos, vel ab illis deniq; inter ipsos de religione, de publicis rebus crebrò mittuntur, possuntne sine magnis eloquentiæ viribus sustineri? quàm turpe, & prope flagitiosum est id quod plerúmque fieri videmus, ut aliis mandata dentur, ab aliis eadem exponantur? Jam in imperiis, in præfecturis vel militaribus vel urbanis, quàm graves nonunquam offensiones concitãtur; quæ dedecora, quæ maulæ suscipiuntur,

dum illi qui præſunt, tanquam mutæ pecudes, ne verbum quidem unum in conventu loqui poſſunt? quid de conſultationibus dicam, quæ ſæpe incidunt, aut de ſalute, aut de utilitate communi? ſi quis eximiâ præditus prudentiâ, verbis compoſitus, & ornatus, in conſilio publico verſaretur: ſive de bello, ſive de vectigalibus imponendis, ſive tollendis, ſive de præmio bonorum, ſive de improborum ſupplicio deliberaretur: quàm ille facilè omnium aliorum, qui non eſſent pares in dicendo, ſententias arbitriô ſuô moderaretur? Teſtes ſunt parentes & propinqui veſtri, Romani juvenes, qui tametſi ea pravitate ſalutem publicam tuentur, quæ maximè decet nobile & illuſtre apud omnes nationes hujus civitatis nomen: tamen nõ dubito quin aliquando, cùm conſilium communibus de rebus caperetur, ei que conſilio ipſi intereſſent, Demoſthenem aliquem aut Ciceronem in curia exoptàrint: teſtes ſunt ampliſſimi Cardinales,

nales, urbis Romanæ lumina, qui in illo gravissimo principum Ecclesiæ consessu, & summo consilio orbis terræ: ubi variæ frequenter sententiæ de Italicis, Germanicis, Gallicis, Hispanicisque rebus agitantur, unius interdum hominis diserti verba dominari regnareque viderunt: testes sunt Alpium fauces, & Tridēntia mœnia, Concilio œcumenico frequentissimo atq; sanctissimo, superioribus annis à Paulo, Julio, Pio, Pontificibus maximis destinatæ sedes; quæ in illis accuratissimis disceptationibus, de religione, & de publica consvetudine vivendi, atque in explicanda sententia de maximis gravissimisque rebus, quantum possit erudita & prudens eloquentis hominis vox & oratio, conspexerunt; testes deniq; omnes provinciæ urbes, testes omnes gentes, atq; nationes, quæ anguntur sæpènumero, & lugent ubi vinci meliorem sententiam à deteriore cernunt, & jus ab injuria magnô multorum malô superari, propter

pter eloquentium, qui ea poſſint defendere, paucitatem. Et quoniam incorrupta Latini, purique ſermonis omnibûs vitiîs detractîs, integritas quaſi ſolum eſt & fundamentum oratoris: illa prima debet eſſe cura, ut latinè quàm elegantiſſimè & apertiſſimè loquamini: deinde, quoniam inanis eſt, & deridendus omnis orationis ornatus, niſi ſubſit res digna hominum auribus, ab oratore percepta & cognita: tanta eſt opera, ut omnes & divinas, & humanas diſciplinas adjungatis: verùm ita, ne totam in eis perdiſcendis conteratis ætatem, ſed cognoſcatis modò fontes ipſos, unde tantum poſtea, quantum neceſſe erit, hauriatis: tum pervolutandi ſunt ornatiſſimi quique ſcriptores, oratores maximè, quorum lectione veluti pabulô quôdam alitur oratio, & exemplîs multîs atque illuſtribûs ad imitandum animus informatur. Non verebor aliquid de me ipſo confiteri apud eos, quos optimè inſtitui vehementer opto. Incideram

ego adolescens in non optimos magistros, à quibus deceptus contuli me ad eos legendos & imitandos, quorum similis nemo, nisi sit omnino stultus, esse velit, ibi cum de recto tramite deflexissem, laborabam quantùm illa ferebat ætas: verùm ab eo quod mihi proposueram, longiùs in dies discedebam: tandem errore cognito, redii in viam, omne meum studium ad legendum Ciceronem, & cognoscendum penitus converti: tum demum intelligere cœpi quid sit compositè & ornatè loqui: tum primum illam eloquentiæ, non pigmentis oblitam fucóque puerili, sed veram, sed naturalis succi plenam, & suo colore florentem faciem adspexi. Itaque tametsi me parùm profecisse & agnosco & fateor: tamen non omnino nihil egisse vestrum omnium studium, & hodiernus hic concursus tantus facit, ut credam. Quam ob rem hunc eundem oratorem ita notum vobis esse volo, ut & commentantibus & scribentibus, & verè etiam agentibus

bus

bus multa de ſcriptis ejus, quæ ſequamini, celeriter occurrant. Ne ars quidem eloquentiæ, quæ vulgo traditur, pulchrè & oratoriè dicere volentibus negligenda eſt: quæ licèt eloquentes non faciat ipſa per ſe ſe, tamen huic ſtudio neque pauca, neque exigua adjumenta ſuppeditat. Sapienter illud ab eloquentiæ Romanæ principe ſcriptum arbitror; magnîs ingeniîs præditos quoſdam dicendi copiam ſine ratione aſſequi, ſed artem ducem eſſe certiorem, quàm naturam. Quapropter aſſumenda ſunt Rhetorum præcepta: ſed cum ea partim ab antiquiſſimis, & copioſiſſimis hominibus, Græcîs latinîſque literîs illuſtrata fuerint: partim à recentibus, & quaſi minorum gentium ſcriptoribus variè tractentur: illos ego & ſibi, & aliis optimè conſulere ſemper judicavi, qui ad ſcripta veterum magiſtrorum cognoſcenda penitùs incumbunt; novos & recentes eatenùs legunt, quòad nõ nihil adjumenti ad ea intelligenda

videantur adferre. Exorti sunt enim proximis annis tam in dialecticis quàm in rhetoricis novi quidam doctrinæ veteris emendatores: quibus cùm nihil esset aliud propositum, nisi principibus, & propè dixerim parentibus omnium disciplinarum adversari, & magnis auctoribus reprehendendis suum adolescentulis rudibus & imperitis ingenium venditare, studio repugnandi longiùs, quam par erat, profecti; sæpè sine ratione ab iis quos defendere debuerunt, dissenserunt. Legi aliquando, vel inspexi potiùs, unum ex illo grege, qui cùm Topica Ciceronis explananda suscepisset; præter pauca quædam à Boëtio compilata, nihil, nisi mera convitia, bonus interpres adferebat: hinc proseminatæ sunt illæ pueriles opiniones & absurdæ, quas nonnulli jam solas in scholis intolerabili cum arrogantia & fastidio pro verissimis certissimísq; jactant: benè dicere, non persvadere, finem esse oratoris: solam elocutionem esse hujus artis: aut

elocutionem cum pronuntiatione & actione: ridiculum esse nunc quærere numeros in oratione videlicet stipites repentè nos, aut lapides factos esse arbitrantur, quos putant subito quodam animi stupore, omnem ejus rei, quæ maximè cognata est mentibus, sensum amisisse. Quamquam istorum levitatem gravitati veterum inimicam esse non miror: illud miror, esse tam multos, qui quorum facta imitentur, eorum exitus non perhorrescant: cum viderimus eum, qui se signiferum præbuerat ad antiquorum auctoritatem evertendam, deserta religione se ad impietatis & impuritatis castra contulisse. Vos verò, Romani juvenes, vos, quos hæc communis religionis parens ad spem Ecclesiæ Christianæ procreavit, ab hac temeritate & intemperie vestros animos quàm longissimè segregantes, ac memores illius Socratici præcepti, nihil esse rejiciendum, quod dixerint aliquando sapientes, sed videndum an aliquid dicant: illos coli-

re, illorum scriptos de arte dicendi libros sedulò evolvite, quibus omnem propè debemus hujusce rei disciplinam: hæc Demosthenis, hæc M. Tulii fuit, hæc omnium excellentium oratorum regio atque via: quorum si vos sectam & instituta diligenter fueritis persecuti: si jactîs antè fundamentîs elegantis dilucidique sermonis, omnem animô comprehenderitis maximarum artium doctrinam; si scriptores optimos Ciceronem maximè vobis ad imitandum proposueritis; si rhetorica præcepta didiceritis, ac iis præsertim, quos omnis antiquitas comprobavit, quod in tanta & ingeniorum, & doctorum abundantia facilè, ùt dixi, effici potest, promitto & recipio brevi fore, ùt illa vetus Latina dicendi gloria funestîs reip. casibûs amissa, floreat rursus in his vestris; & majorum sedibus, recuperata per vos & restituta: quò quid per Deum immortalem vobis ad fructum optabilius, ad existimationem honestius, ad hominum famam præ-
dica-

dicabilius poteſt accidere? majorum laudem, obrutam quondam patriæ ruinâs, per vos longô intervallô renovari, facultatémq; præclaram, propoſito fine, perſuaſionis popularis effectricem, usû ſcientiæ civilis comitem, & ſociam, omnes in civitate tum publicas, tum privatas actiones cum ea moderantem, quæ ad vos velut hæreditario jure veniebat, jam olim communibus omnium gentium cladibus vobis ereptam, veſtrâ operâ, ſtudiô, labore, quaſi denuo comparari? quantum laboris & moleſtiæ veteres illos Romanos ultrò ſuſcepiſſe, & conſtanter ſuſtinuiſſe creditis: quantùm vigilâſſe Ciceronem, quantùm Hortenſium, quantùm cæteros, ut hanc vobis oratoriæ laudis hæreditatem, quàm maximè firmam, ſtabilem, certam, æternam deniq; relinquerent, ſi quô modô poſſent? qui cùm lugebant; cogitabant, ſcribebant, declamitabant, agebant, illud, opinor, optabant; ſtudii, laboris, gloriæque ſuæ æmulos poſteros habere: ergo illi nihil

hil recusârunt, tu hoc vobis quasi patrimonium traderent quàm amplissimũ: vos, ut ablatum vobis & recuperetis & conservetis, hoc, quidquid est, subeundum laboris refugietis? quàm turpe, quàm ignominiosum est, quod illi primi vestrâ causâ tam studiosè paraverunt, id vos ab illis acceptum, & adversîs casibûs ademptum, nolle recipere, cùm possitis? Rusticos homines videmus, quidvis mallè perpeti, quàm auferri sibi vel salinum, vel patellam, vel solum à parentibus avísque relictum: vos tam amplam eloquentiæ possessionem æquô animô amissam patiemini? si cui vestrum tantulum de patriis bonis alicujus fraude diminuetur, non vociferaretur? non prætorem adiret, judicium postularet, volitaret totô forô, patronorum & advocatorum multitudine stipatus, testamentorum tabulas proferret, per omnia tribunalia ultro citróque cursitaret, quidvis potiùs ferret, quàm perexiguum quiddam de pecunia patria deperderet? & tantas

orati-

orationis copias, has eloquentiæ divitias, non testamentorum jure, sed propagatione sangvinis, vobis à majoribus traditas, direptas, dissipatas, laceratas ferre potestis? videte ne quantam illis gloriam peperit incredibile novæ laudis acquirendæ studium, tantum vobis dedecus afferat veteris recuperandæ, & retinendæ negligentia. Ego quidem Romani Juvenes, quoniam hoc mihi hodie onus imponitur, curabo quantum in me erit, ne quâ in re officii mei partes desiderentur, meámque operam, quam unam vobis præstare possum, studiosis eloquentiæ numquam denegabo: vos incumbite obsecro, incumbite ad studium dignum ingeniô, dignum ætate, dignum splendore vestro, nobilitate patriæ, majorum gloriâ efficite, ut hi patres religiosissimi, hi doctissimi eloquentissimíque viri, qui vos audientes, præsentiâ suâ decorare voluerunt, multò aliquando jucundiùs dicentes, & agentes, hâc tanta gravitate, & auctoritate cohonestent.

INDEX.

PARS PRIMA.

CAP:

CA-

Artic:

Con-

PARS QUARTA.

Per

PARS QUINTA.

CA-

I. *Chria*

Roma,


PARS

PARS SEXTA.

Arti-

FINIS INDICIS.








Biblioteka Jagiellońska
stdr0028817

